796024

600 / 1200
300
1500 [illegible]

C. 24.

530/1952.

UNGARIA
SUIS CUM
REGIONIBUS,
CETERISQUE TERRÆ
DOTIBUS.
REGES
ITEM UNGARIÆ
Cum accurata ſingulorum
GENEALOGIA
COMPENDIO
DATI.
STUDIO
R.P. LADISLAI TUROCZI,
è Societate JESU.

TYRNAVIÆ
Typis Academicis Soc. Jesu per Fridericum Gall. 1729.

FACULTAS, & APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus, per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre noſtro Michaële Angelo Tamburino, Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut liber, cui titulus: *Hungaria ſuis cum Regibus compendiô data* à P. Ladislao Turoczi Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptus, & à Patribus ad id ex eadem Societate deputatis lectus, & approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem, hanc facultatem manu mea ſcripſi, & ſigillô officij mei munivi. Viennæ 31. Auguſti Annô 1729.

L.S.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

JOANNES BAPTISTA THULLNER.

LIBER I.

UNGARIA

Singulare Providentiæ Divinæ in natura prodigium.

DEBRECZEN SZAB. KIR. VÁROS LEVÉLTÁRI TÁRA

Argumentum & Synopsis Libri I.

§. I. *IMago Ungariæ, Finitimæ Provinciæ. Nova ejusdem partitio in Occidentalem, Meridionalem, Orientalem, Septemtrionalem.* §. II. *Ungariæ Occidentalis Comitatus: Mosonienſis, Caſtri-Ferrei, Szaladienſis, Beſprimienſis, Albenſis, Piliſienſis, Strigonienſis, Jaurinenſis, Comaromienſis. Eorum Notationes, Urbes, Oppida, Arces, Caſtella, Supremi Comites, Loca DEO ſacrata, Idiomata.* §. III. *Ungariæ Meridionalis Comitatus: Baranyenſis, Tolnenſis, Simegienſis, Bodrogienſis, Bacſienſis, Szolnokienſis, Peſtienſis, Hevesien-*

vesiensis, Temesiensis, Severiensis, Csanadiensis, Aradiensis, Csongradiensis. Eorundem nomenclaturæ, Urbes, Oppida, &c. §. *IV. Ungariæ Orientalis Comitatus: Bihariensis, Szattmariensis, Ugocsensis, Maramarosiensis, Torantaliensis, Szabolcsensis; & adjacentes Transsilvanis plagæ; cum originibus Nominum, Urbibus, &c.* §. *V. Ungariæ Septemtrionalis Comitatus: Beregiensis, Ungensis, Saarosiensis, Scepusiensis, Liptoviensis, Arvensis, Turoczensis, Trencsiniensis, Zemplinienſis, Abaujvariensis, Tornensis, Gömöriensis, Szoliensis, Borsodiensis, Novigradiensis, Hontensis, Barsiensis, Nitriensis, Posoniensis. Locorum horum derivationes, Urbes, &c.* §. *VI. Insulæ Ungariæ. Aquæ. Lacus. Fontes. Thermæ, & earum Virtutes. Item Montes, Silvæ, Metalla, Feræ. Denique terræ fecunditas, Cœli temperies.* §. *VII. Ungaria in Regnum elevatur.*

VNgaria, si ab oriente occumbentem versùs solem prospicias, Imperatorium exprimit Caput, quale ferè veteribus Romanorum in nummis est legere. Colli vicem Temesuarienses ac Severienses Provinciæ subeunt, Transilvaniam inter & Serviam longiùs excurrentes. Frontem amplè ad Majestatem explicant Posonienses, Nitrienses, Trencsinienses, Arvenses, & Turoczienses plagæ, cum Liptovienses, ac non modica Scepusienses parte. altera illarum pars intercilium cum Saarosienses facit. Nasum inchoant Abaujvarienses, continuant Zemplinienses & Beregienses regiones; quem porro in aquilinum efformant Ungenses; ac in acumen deducunt Maramarosienses. Terræ Szattmarienses, cum Biharienses, nec non quibusdam finitimis, geminum constituunt labrum, mentúmque præterea. Verticem cum moderatiore quapiam veluti cæsarie Mosonienses, Sopronienses, Castríque Ferrei Comitatus imitantur. Loca, quæ propius Sclavoniam attingunt, occiput; quæ medium regni tenent, oculos, genas, & cetera id genus vultûs ornamenta planè absolvunt. Laurum demum Imperatoriam Danubius, suas per Insulas, grandiores quasi gemmas, distinctus; à Posonio ad Dravum usque protrahit; cui infra Esselinum junctus, omnem magni istius Capitis Imaginem definit. Quæ quidem, si longitudinem spectes, ab ortu in occasum extenditur

§. 1. *Imago Ungariæ*

ad

ad octuaginta milliaria Germanica; si latitudinem à Septemtrione in meridiem, ad septuaginta.

1. *Finitimæ Provinciæ.* Habet Ungaria, quà orientalior est, terminum Transsilvaniam; quà occidentalior partem Moraviæ, Austriam, Styriam; ad Septemtrionem occurrit Russia, Polonia, Silesia, & altera Moraviæ pars; ad meridiem Sclavonia, & Servia.

2. *Termini controversi.* Quàm autem in promptu est Provincias, Regnáque vicina censere; tam arduum hæc inter & Ungariam veteres, eósque certos limites reperire. Dabit hos dies unus, qui amica jurgia pace componet, & vicina charitate.

3. *Nova Ungariæ partitio.* Ungaria ipsa, jam inde ab heroicis Progenitorum suorum temporibus, sive incolarum arbitrio, sive rerum vicissitudine, seu scriptorum sententiis, varias dividitur in partes. mihi, non tam novi studioso, quàm memoriæ mortalium consulere volenti, placet in primis partitio illa, quæ à Solis ducitur cursu; ita: ut altera pars Orientalem, Occidentalem altera; tum Meridionalem tertia, suprema tandem Septemtrionalem constituat Ungariam. Quò autem res universa plana, claráque evadat: omnem Regni istius imaginem ab Urbe Austriæ Vienna spectandam do, loco occumbentem ad solem ab Arcto paullum declinante. Ergo primùm Occiduam exhibebo plagam; tum facto per Australem itinere, in Borealibus demum oris sistam; ubi tamen ante has, regionem lustravero, quæ nascentem excipit solem. Ordo inversus, commodus tamen: tum quia faciliùs ratione ista sub aspectum peregrinarum etiam nationum Ungaria veniet; tum quia nostri ipsi Populares in vocibus *Citeriori & Ulteriori*, *Superiori & Inferiori*, aliquando desinent hallucinari. Sit igitur suscepti operis initium ab Occidente.

§. II. *Ungariæ Occidentalis Comitatus.* Mosonienses primus obtutum oculorum explet Comitatus, si ex Austria in Ungariam dextrorsum intendas. Sortitur nomen ab Oppido Moson, celebri veteribus ac munito; haud procul à Danubio ex

ædi-

ædificato. hodie præter ruinas, vix quidquam eo loci: ſive fortuna belli ſedem illam ad pauperiem redigente; ſive incolis habitationem minus idoneam ultro ſolitudini permittentibus. Succeſſit Moſonio in caput Provinciæ Ovarinum, ædificiis ac ſitu omnino non inelegans, à longiori Salamonis Regis incolatu * etiam illuſtre. Privilegiis antiquorum Principum adeo dives eſt: ſplendidum ut *Ovarienſis Reipublicæ* nomen ſuo non dubitet inſculpere ſigillo. Arx illi perqam vetuſta jungitur; ſed & ipſum Oppidum grandis incingebat foſſa, arcendis Turcarum excurſionibus, præſertim cùm Jaurini rerum potirentur, opportunè educta; quam tamen munitionem ſi non abſtulit, labefactavit certè quidem tantis barbarus ille cladibus An. ſeculi proximè ſuperioris LXXXIII, rudis ut modò, indigeſtáque duntaxat circumeat propugnaculi moles. Ceterum nomen *Ovar*, quod *veterem* deſignat *arcem* inditum loco ab Ungaris propterea, quòd illam (ſic fertur) ſuum ante adventum conditam reperiunt, ac novam ipſi alteram ad Moſonium erigunt. Porrò ditio Ovarienſis Dos Reginæ Ungariæ audit; ab eo nempe tempore, quo Anna Ludovici II. Soror in Auguſtiſſimam Auſtriacorum Familiam An. MDXXI. nupſit; cui Frater Rex ampliſſima terræ iſtius latifundia dotis loco attribuit. Reliqua Moſonienſis Comitatûs oppida plus nominata ſunt: Kőpcsenium ſua cum arce inſigne; tum Oroſzvarinum cum Caſtello; Raica ſimiliter; Lebenium deinceps; ac Oppidum S. Nicolai; ad ultimum Fertő, à vicino, cujus ripam occupat, lacu appellatum; quod nunc, mutuato à Germanis vocabulo, Neűſiedl vulgus nominat.

Moſonienſis.

4. *Oppida, Arces, Caſtella.*

* *An. M. LXXIV.*

Singulare iſtud Moſonienſium tractus, ac proprium habet: quòd majorum ætate, non, nisi Reges; aut proximos Regibus, ſupremorum in dignitate Comitum adoraverit, magna oportet fuiſſe

5. *Supremi Comites.*

membra, quibus tam grande caput. nunc hoc in honore familia regnat Zichiana.

6. *Loca Sacra.* Devotam Cœlis ædem Lebenium tenuit, Abbatiam S. Iacobi, Sanctam magni Benedicti Filiorum domum, fundatam An. M.CCIX. à Chephano & Poth fratribus Hedervariis, ac Ungariæ Proregibus. Jam verò tempore hoc Ovarinum à Principe Strigonienſium Georgio Szecſenio Capucinos accepit. Prata autem Mariana (id nomen loco eſt) ab altero Principe Paulo Eſterhazio Franciſcanos; ubi magnifica cum Baſilica grande illis ſtat Monaſterium. Paulinos habet Oppidum Fertô; Ciſtercienſes Aula Monachorum, vulgus appellat Minichhoff.

7. *Lingua.* Linguam Nobilitas potior Ungaricam loquitur & Germanicam, plebs ruſtica ferè Croaticam.

8. *Cur Limites Comitatuum non exprimantur.* Erit fortaſſe unus aliquis, qui fines iſthìc Comitatuum ac limites nôſſe deſideret; & verò mihi quoque id præcipuum in votis. at enim, ſi quemadmodum res ſe habet, edixero: cavi vehementer, novis veteres augeam erroribus. Adivi plures, qui de Ungaria ſcriptione mereri ſtuduerunt, vidi, legi, volvi; antiquos, recentiores, & planè novos; quin etiam Tabulas conſului Geographicas, nec unas illas; ut ſi quid uſpiam reperirem, quod mecum faceret, quâ poſſem curâ & diligentiâ maximâ, ſuis tandem regiones ſingulas terminis definirem. Tempus & chartas trivi, profeci nihil. locum, ubi ad extremum pedem figerem, inveni nullum. plerique omnes inter ſe pugnantes; multa illis confuſa; plura liti obnoxia; generatim dant omnia, nominatim vix pilum. quæ utut ferenda eſſent, tamen tot, ac tanta menda præterea, quæ in Authores circa Limites Comitatuum irrepſerant, à me quidem ſuffragium impetrabunt nunquam. probo multorum in Regnum noſtrum voluntatem, & ſtudium egregium; errationes non item: quas ferme, quocunque oculi inciderint, videre eſt; dum loca unius plagæ transferun-

feruntur in alteram, fluvij permiſcentur, ſilvæ, territoriáque commutantur, plurima ſic præter ordinem narrantur; ut in ipſis illis limitibus, totos, oportet, extra limites divageris. Quocirca nè Patronus accederem hallucinationibus, ſatiùs duxi in terminorum interea deſcriptione dilatione uti; quoad vel erudirer ſpeciatim per regionum ſingularum incolas, aut certè loca ipſa pedibus uſurparem ac viſu. atque has omnino geminas ego vias cenſeo, quibus aſſequi verum datur: cui ſcriptio omnis ſervire debet; nec tam, ut illi proſit, elaborare, quàm ut nè quid obſit. Sed jam in partes Sopronienſium concedamus.

9. Sopronienſis *Comitatus.*

Moſonienſem agrum Sopronienſis excipit dives opum, ac elegantiæ. Nomen à principe Urbe Sopronio deducit, de cujus origine contendant, quibus gratum altercari. Fertur: Civitatem Rex Salamon ab interitu vindicâſſe, ornâſſe privilegijs, & primam in Ungaria liberam, Regiámque creâſſe. Sita eſt in valle ad omnem amœnitatem compoſita, turribus ac muris potens. Spatiis definitur exiguis, ſed ampliſſimis undique diffunditur ſuburbijs. Ædificia ea ſunt Sopronienſibus, quæ univerſa Regni Comitia quater hoſpites accepêre. Templum extra Urbem D. Michaëlis viſitur, auguſtum Cæſ. Friderici opus. Duo alia ibidem: alterum Spiritûs Sancti, Joannis Bapt. alterum, ſed illud vetuſtiſſimum omnium. Secundas à Sopronio Kiſmartonium obtinet; urbs & ipſa regia, in qua ſuperiori proximè ſeculo excelſa Principis Pauli Eſterhazij magnificentia eam arcem poſuit, quæ Europæorum inter ædificiorum prodigia poſſit cenſeri. habet pariter Templum Parœcia, jure in pulcerrimis numerandum. Tertia porrò Civitas Regia Ruſtum eſt; cultu, non amplitudine commendatur. Oppida Sopronienſium terra numerat nec pauca, & populo referta: Fraknoienſe, cui Arx imminet fortiſſima, gazis Familiæ Eſterhazianæ onerata. additæ præſidio munitiones An. MDCX-

10. *Urbes, Oppida, Arces, Caſtella.*

XXV. per Nicolaum Pauli ſuprà memorati Parentem, cujus poſſeſſionem jam ante decennium iniêrat. Suam habet quoque arcem Kereſzturinum; & olim Kapovarinum. Sequuntur: Cſepreginum grande Oppidum, Locsmandinum, Nyekinum, Fekete varos, & Széles kút; hoc, Latinis fontem latum; illud, ſignificat Oppidum nigrum. Caſtellum denique habent Rakoſienſes, bina alia Szeplakienſes; ſed Landzerienſes arcem altiſſimam, utì & Kaboldenſes cum Loſenſibus minoris gentium ſunt, ſed elegantia Caſtella: Pinyenſe, Daſztifalvenſe, Pereſznyenſe, Bûenſe, Petôhazenſe, Horpacſenſe, Udvardienſe, Fûleſenſe, Bûkenſe, Ságenſe, ac Salamonfalvenſe.

II. *Supremi Comites.* Munus ſupremorum Comitum Provinciæ hujus hæreditarium eſt Eſterhazianæ Domui; penes cujus natu maximum reſidet Sac. Rom. Imperij Principis titulus celſiſſimus; quem primus ſuam in familiam ſæpe numero laudatus Paulus intulit An. MDCLXXXVII. quóve perpetuus ſerum in Nepotem tranſiret, An. tandem MDCCXII. impetravit.

Sed enim ut ſuum ætatibus, ita claris etiam honoris inſignibus inſidiatur ſenium; &, nisì bene multus caveas, lapſus præceps in veteres egeſtatis calamitates, atque adeo triſte fatum. advertit id animum Pauli viri ſingulari prudentia: idcirco, quò malo occurreret, vetuit lege lata patrimonium in capita ſuorum partiri; verùm hæredem principum fortunarum (Majoratum Hiſpani dicunt) eum inſtituit, cui naſcendi ſors primum attribueret in poſteris locum. Factum ſapiens! dignum omnino quod Dynaſtæ imitentur plures. Certè quòd florentiſſimæ ſæpe ſtirpes ad eas pedetentim rei familiaris anguſtias deciderint, ut funeri quandoque ſumptus defuerint, indè eſt: quòd opulentiſſimæ progenitorum fortunæ, ſemel, iterum, tertiò, ac ſæpius, plures in liberos, immiti miſeratione dividebantur; & quò augebatur ſoboles numeroſius, hoc infelicius opes imminuebantur.

Familiarum interitus unde?

tur. Et verò da mihi hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, cui centum aureorum nummûm millia quotannis in ærarium veniant; finge tum quinos ab eo procreari filios; fac deinde singuli similiter hæreditatem adeant; millia vicena unus accipiet. Jam si quini rursum huic liberi; quaterna, nec plura, millia sigillatim numerabunt. Sed nascantur & ex istis uni alicui quinque alij; profectò si viritim distributio instituatur, nè mille obvenient; & tamen ad pronepotes duntaxat ventum. Quid si autem & plures generis propagines haud interrupta serie deducantur; & proles uberius, atque dixi, progenerentur; nec paternæ divitiæ sint, quæ tam amplè exundent; tum profectò jacebunt nomina summo loco nata, nec quidquam reliqui præter exesas quasdam tabulas de majorum suorum splendore retinebunt. risu, an lacrimis res digna? unius membranæ folio totam circumscribi nobilitatis supellectilem. Contrà sic ubi fortunæ bona omnia apud natu primum fuerint; ij, qui ad alteram, tertiam, quartámque nativitatem damnatos sese vident, spe hæreditatis depulsi, vias scrutantur alias, quibus eniti in famæ decora possint. Tenacissimus sui nobilium sanguis est; & siquidem à vitiis vacet, pudet consistere in ultimis, luctatur ad summa. nec foris negligit quærere, quam domi desperat coronam. quare bello alij excellere, litteris alij contendunt; sortísque errorem virtutibus corrigere elaborant. Longè secùs res habet illorum, de quibus primo loco commemoravi: nam illi, quoniam non nescij sint, possessiones laxas, congestúmque Patrum sudore æs pro rata divisum iri, parum pensi habent molestam ijs operam locare, quibus ista parta sunt. Rerum abundantia juveniles præsertim animos in otium præcipitat & desidiam; paupertas erigit: vitiorum illa parens; hæc bonarum disciplinarum mater est, & veræ gloriæ. Sed quam

in quæstionem me temerè intuli? relegamus iter, rectâ pergamus.

12. Loca Sacra. Divino consecrata honori loca Sopronienſis Comitatus habuit: Conventum S. Joan. Bapt. Ordinis Rhodienſium (modò audiunt Melitenſes) Sopronij; ubi plura numerantur Eccleſiaſtici censûs beneficia. Ædes ad hoc Franciſcanæ cum Templo aſſumptæ Virgini erecto. Tum collegium Sociorum Jesu Sacrario Divi Georgij additum; ubi etiam Convictus Nobilium Adoleſcentûm. & hi, & illi Parentem venerantur Georgium Draskovichium, alterum à magno illo Cardinale nominis ejuſdem & ſanguinis, Jaurinenſium Præſulem, cujus munificentia domus utraque in dies ſuſtentatur. Poſuerat ille quidem Jeſuitas An. MDCXXXVI. in ſuburbio; ſed Urbem ſubinde ingreſſi ſunt, atque illud ipſum nacti domicilium, quod longè ante quidam hæreticorum, dum in formam Collegij conſtrueret, ſe Jeſuitarum gratiâ id facere dictitabat. atque omnino conſtitit verbo fides. Jam verò ſuburbana Patres colunt Dominicani; pauci illi, ſed ubi ſua de integro urbi inclytæ redierit pietas, ſpes haud vana eſt incrementi. Kiſmartonium & Seraphicos Fratres, & Auguſtinianas ſuis concludit muris ſorores; illos Nicolaus Pater, Filius has Paulus, uterque Eſterhazius, loco dederunt. Extra muros Franciſcanus idem Ordo Clauſtrum aliud habet, & advigilat ſacro Calvariæ Monti; quem regiâ prorſus magnificentiâ ſingularis ejuſdem Pauli religio excitavit, & ad omnium tum pietatem, tum admirationem ornavit. Pauli iterum beneficio Fraknojenſes quoque ſtant Servitæ. Sed quam Laureti (nomen eſt loci) ijdem Viri Religioſiſſimi habitant domum, tribuunt alij Franciſco Nadasdio Judici Curiæ Regiæ, alij Paulo millies mihi laudato Eſterhazio; intra verum conſiſtunt utrique: quippe Franciſcus fecit, ut clauſtrum habeant; Paulus, ut abundantius habeant. Wondorffiuum haud lon-

longè Sopronio abeſt; ſanctioris iſthìc rudimenta ponunt Paulinæ eremi juvenes incolæ ad S. Wolffgangi. Sopronienſium Civium vetus iſthuc eſt beneficium, qui An. MCCCCLXXXI. evocatos DEI ſervos poſſeſſionibus dotârunt, próque virili ſua quisque opibus promoverunt. Ad Landzerienſem demum arcem Camaldulenſes degunt favore Pauli Principis.

Incolæ Comitatûs hujus ſermone plerique utuntur Germano; ſunt, qui non, nisì Ungarum, nôrunt; alij Croaticum. Qui ſacris auſcultant Romanis, multi cenſentur; ſed Luthero inhærent potentes præſertim è Civibus Sopronienſibus, quos tempeſtas illa hoc in littus ejecit, quæ ſectam iſtam Auſtriacis ex terris * proturbavit. 13. *Lingua.* * *An. M. DCXXIV.*

A Caſtro Ferreo (vas vár) arce majoris olim, ac hodie nominis, dictus eſt Comitatus Caſtriferrei; tam amplus, maximas ut inter Ungariæ regiones numeretur; tam delicijs omnibus affluens, gratiæ ut alibi peregrinari, hìc colonias fixiſſe credantur. Prima voluptatum ſedes Ginzium eſt, Urbs Regia, ac libera; non auro, aut precario huc titulorum eluctata, ſed virtute ſuorum immortali. Ibat victor Solimani exercitus per Ungariam, * offendit fortè de via in Ginzium, oppidulum haud à vallis firmum, à mœnibus non omnino proviſum. ergo miles Turcus non tam obſidendi, quàm ludendi causâ ſiſtit: ſcilicet horæ dimidiæ negotium arbitrabatur, Ginzio potiri. itaque mittit initio, qui deditionem imperent; contemnuntur. minas tum intentat, ac excidium; ridetur. aſſultu agit; repellitur. Strues undique lignorum, undique incendia cogit; diſſipantur, extinguuntur. Sic noctes, ſic dies labor improbus fatigat obſeſſos, haud tamen tantum potuit, ut vallum vel unicum Civi eriperet, ſibi ſubderet. Miratus Ungaram hoſtis virtutem, poſt quatuor admodum & denos dies tandem ceſſit obſidione. Qui oppu- 14. Caſtri Ferrei *Comitatus.* 15. *Urbes, Oppida, Arces, Caſtella.* * *An. M. DXXXII.*

gnârunt, ſexaginta atque ampliùs erant millia; quadringentis non plures, qui propugnârunt. Uſque adeo animi robur præ numero ſtat! Atque hæc illa urbecula eſt, quæ ſuam eripuit Græcis Spartam, tranſtulit in Ungariam; palâmque orbe fecit: vivere etiamnum vetera illa fortitudinis prodigia, ubi viri quidem vivunt. Jacet Ginzium ad amnem gemmeum, binos inter colles, altero frugibus, vinetis altero conſpicuos. habet prægrandia duo ſuburbia; hoc Germani, illud Ungari colunt. Arcula quaternis elevata turribus Septemtrionalem Urbis facit angulum. Templum Parœciæ Divo Ungarorum Duci Emerico ſacrum eſt. Extra Ginzium in vertice montis maximi parietinæ quædam turris validæ conſpiciuntur, non diſſimilem in formam conſtructæ, qualem paſſim latibulis ſuis dediſſe vidimus militem Bohemum, diu ac multum ſub Giſcra Duce, Ungariæ incumbentem. * aut ergo ab iſtiuscemodi hominibus, ſi furor ille quidem iſthuc quoque penetravit, fuerit excitata; aut certè à vicinis circum locis perfugij causâ adversùs irruptiones Tartarorum. * Qua porrò vallis Ginzienſium latiùs ſeſe in planitiem explicat, Sabarienſes occurrunt terræ, Patricijs olim duntaxat aſſuetæ pedibus calcari. Amplum cultúque modò oppidum; ſed umbra veteris majeſtatis: quam hodie ſoli lapides, & inciſæ lapidibus loquuntur litteræ Ornatur arculâ Jaurinenſis Epiſcopi; quæ in aditu ſui hinc, illíncque per parietem, culta Romanis Idola, plurésque tabulas pro more gentis illius inſcriptas, ceu rudera antiquæ Sabariæ, oſtentat. Civitas ipſa muro incingitur humiliore; ceterum ædificijs frequentatur, & populo; qui ſeu virtute propria, ſive Divi Martini Civis ſui beneficio, tanta eſt religione: ut nè vernam ultimum Sabariæ patiatur à Fide Catholica alienum. Rohonczinum Sabarienſem plagam ſequitur; oppidum grande præter Ungaros, Croatas complectitur & Germanos,

* ab An. 1441. ferè ad 1461.

* Poſt Annum 1243.

nos, Judæos perquam multos præterea. Arx Batthyániana partẽ loci facit, regijs planè sumptibus exædificata. sed imagines in primis admirationem excitant; in quibus, si modò vocem addideris, non est, cur vitam omnem desideres. è precio artem conjice: unius Bacchi vita coloribus expressa denis florenorum Rhenensium millibus venijt; & tamen multæ aliæ multò formosiores. Nemetujvarinum sua se fortitudine commendat. est juxta hoc in prærupto monte arx, quam novena circum tutantur propugnacula; & plurimus intus, qui defensioni servit, apparatus. juris est, & hæreditatis Batthyánianæ ab An. MDXXIII. quo eam Franciscus Dalmatiæ id temporis Prorex dono à Ludovico II. accepit. Jam ad defluentem Pinkam, oppida pariter, nec illa inornata, defluunt: Pinkafeldinum suo cum Castello; Borostyán & ejusdem arx supra montem sita; Szalonokinum deinde suis instructum vallis, auctum suburbijs, ac arce in colle paullum semoto excelsa tutum; sua etiam cum arce Monyorokerekinum, de quo Familia se scribit Erdôdiana; Ad Arrabonem seu Rabam fluvium est Sarvarinum non ignobile seculo superiore propugnaculum. S. Gotthardus, divite Cisterciensium Abbatia à Bela III. An. MCLXXXIII. erectâ, similiter oppidum est perelegans. Dobra arcem secum ostentat; Kôrmendinum Castellum præterea. S. Martini denique & S. Michaëlis oppida omnium finiunt numerum. Arx, præter supra dictas, Vepiensis, præclara illa, & omni ex parte concinna, in plano est; in alto alia ad Lekam; Castella deinceps: Csákányense, Rakicsanyense, Sicense, Kosidiense, Kerienſe, Ramoczense, Tômôrdiense, Suranyense, & gemina Bosokiensia. Dignitas Supremorum Comitum hæreditaria est Battyánijs; quam hodie sustinet Ludovicus Regni Pro-Cancellarius.

Hac in parte Ungariæ celebrem habuit Præpositu- 164 Loca sacra.
ram S. Michaëlis Castrum Ferreum caput regionis;

quæ, afflictis Civitatis illius rebus, migravit Sabariam. Ibidem sacris operabantur Franciscani, & Dominicani. atque postremi hi redditi loco sunt per Georgium Szechenium Archiepiscopum Strigoniensem. Abbatiam B. Mariæ de Monte Gisling, Nemetujvarini obtinebant Benedictini à Wolffero loci Comite An. MCLXXV. conditam; cujus nunc loco Monasterium Franciscanis exædificavit Familia Batthyániana. Eorundem fuit Abbatia altera haud procul Ginzio sita, à Fundatore Bors-Monostra appellata, quod idem est, ac Borsij Monasterium; locum hodie possident Cistercienses, & Patronum venerantur Paulum Esterhazium. hic idem Ordo sanctissimus, & ad S. Gotthardum, de quo nuper; & in * Porno suos colebat Abbates. Denique ad S. Benedictum spectabant Abbatiæ Gyokensis, & Dômôlkiensis ad radices montis Ság collocata. Præmonstratenses in Tûrje Præposituram regebant; quo longo sanè intervallo pòst iterum reversi, possessionem loci acceperunt An. MDCCI. Kôrmôndini florebant Guilelmitæ, domo & bonis à Dionysio Oklichio Regni Palatino stabiliti. Geminas quoque hoc in Comitatu incolebat Eremos Paulina Soboles: alteram Monyorokerekini; Szalonokini alteram: illùc Bertholdus Ellerbachius illam intulit An. MCCCLXXIII, ac fundamenta Cænobij jecit. Conjux Barbara muros in altum extulit; Filius Joannes manum operi imposuit supremam: atque hoc in Joanne totus extinctus est hæres, cui marmor dedit, & Lessum * Cardinalis Bakachius; qui etiam ditionem illius obtinuit; & ab hoc Erdôdij. Szalonokinum porrò candidam deduxit coloniam Andreas Paumkircherus An. millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto. ita Historia Ordinis. Sed alij malunt Abbatiam anno hoc, & loco, ab eo fundatam. & hic fortasse author est, aut certè reparator & Arcis vicinæ, & ipsius Civitatis; quoniam frequens repetebat: terna se condidisse ædificia;

* Fundata An. 1235.

* An. 1498.

cia; DEO unum, Homini alterum, Diabolo tertium: & quidem Civitatem Homini, Diabolo Castrum, Claustrum DEO. Qui tempestate hac auctorati Cœlo terram istam colunt, quosdam supra nominavi, reliquos accipe: Sabariensi in Civitate Ordo Seraphicus de Observantia habitat; ubi antè Minoritæ eo in loco, quem infirmis curandis veterum pietas construxerat. deinde extra oppidum eleganti in Asceterio suos instituit Tirones Magna Prædicatorum Familia, ad ipsam Sancti Martini Civis Sabariensis, Episcopi Turonensis, sacram ædem; ferunt hìc loci in lucem editum Divum illum; de quo modò, præter Cineres pauciſſimos à Card. Kolonichio donatos, nihil habet reliqui. Augustini Filij, qui vulgo de Larga manica audiunt, Lekæ habent sedem, Templúmque belliſſimum; Fundator est Franciscus Nadasdius, marmoreo ibidem tumulo conditus. Ad ultimum, Ginzium excolunt Jesuitæ An. MDCLXXXIV. à Georgio Szecsenio inducti; qui pariter scholas aperuit, à frequenti Nobilitate, ab ingeniorum præstantia, à morum probitate, longè latéque plagis istis celeberrimas.

17. *Lingua.* Idioma in regione Castri-Ferrei apud Nobiliores viget Ungaricum; apud plerosque Civium Germanicum; pars vulgi istam, pars illam callent; Croaticum adhoc multi. Religione Catholica sunt plurimi; cui etiam in primis deferre student. dedit immortale rei tantæ monumentum Inclytus hicce Comitatus, quando nuperrimè Civilis belli tempore, arte nulla, nullis minis adduci potuit, suo ut gremio moveret Societatem Jesu, aut quidquam libertatis ampliùs, atque antea habebant, Romanæ Sedis adversarijs faceret.

18. Szaladiensis *Comitatus. Origo Nominis.* Szaladiensis ordine sequitur Comitatus. controvertunt de nomine: hi à Szalavarino (Szalavar) deducunt, alij ab oppido Szaladino. quid prohibet à Szala partium istarum fluvio & Provinciam totam, quin &

bina illa loca nominari? ſtant certè ab hac mea ſententia clariſſimæ Nitrienſium, Agrienſium, Turoczenſium, Ungenſium, Kraſznenſium plagæ; quæ omnes, & multæ aliæ, extra controverſiam omnem, ſuis debent aquis denominationem. Oppida iſthic præ reliquis celebrantur: Sûmeginum præclara cum arce, Egerſzeginum, Szalavarinum, Szaladinum, Kapornakinum, Séchi Szigethum, Parvum Comaromium, Karoſinum, Komarinum, Bérinum, Lentinum, Dobronokinum, Szantovium, Vallis S. Georgij, Kemendinum denique & Pôlôskinum celebribus olim cum arcibus. Vendicant ſibi Szaladienſes & S. Gotthardum, & Præpoſituram Tûrje. In ipſa autem Muræ Inſula, quæ partem Comitatûs facit; Ormosdinum fortiſſimum, vaſtúmque præterita ætate adversùs Turcam propugnaculum. Plaſtracium deinceps, Raczkaniſa, ac Legradinum prius à munitione, nunc à cultellis, quos præſtantiſſimos faciunt loci artifices, nominatum. Reſtant ad hoc quina Szaladienſium oppida, quæ & arcibus, & ſummorum Virorum aut origine, aut habitatione ſunt longè, ac dici ab ullo poſſit, illuſtriſſima: Lendva inferior, de qua Banfij; Kaniſa, ex qua Kaniſaji; Novum Zrinium, ubi militaris ſtatio Zriniorum. jam in Inſula: Stridon (Strigova vel Stridova) magni illius Eccleſiæ Doctoris Hieronymi natale ſolum; Cſak Tornya, quam Cſak Conditor, ùt creditur, Familiæ Cſakianæ, & ex fundamentis * eduxit, & incoluit. Superi quanta terra, quæ tantos cepit Viros! omnis hic ſanguis herous, omnis Sanctus, omnis maximus. Regioni huic cum authoritate Supremi Comitis præſidet modò Michaël Joan. è Comitibus ab Althan Inſulæ Dominus.

19. Oppida, Arces.

* An. M. CCLI.

Vetuſtiſſima Banfiorum Familia Præpoſituram Rajkenſem honori Mariano An. MCCXXXIX. erexit, eámque Præmonſtratenſibus colendam dedit; cùm ex eodem ſanguine Arnoldus Banfius jam ante quin-

20. Loca ſacra. 1239.

quinquennium Monasterium condidisset Divi Dominici Sororibus in Pôlôske ad Fanum S. Margarithæ. Senas Benedictini apud Szaladienses inhabitabant Abbatias: Primam ad S. Jacobum de Silisio ab Acha Prorege An. MLXIV. fundatam; in Oppido Szala alteram S. Adriani M. rursum Kapornakini S. Salvatoris, penes quam & Archivum Regni. tum juxta Muram ad S. Crucem; Denique Almadini, & Csatarini, utramque cultui Ungarorum Dominæ consecratam. Quaterna Paulinos alebant Cœnobia: Szalense ad S. Jacobum à Gyulaijana stirpe An. MCCCIV. conditum; Enyerense ad B. V. à Thoma & Joanne Enyerijs An. MCCCXXXVI. inchoatum, ac paullo post ad culmen perductum; Csaktornense ad S. Helenam An. MCCCLXXIV. stabilitum per duos Stephanos, alterum Vajvodam Daciæ, Magistrum alterum Agazonum Regalium. ita quidem Annales Paulini. sed sunt qui An. MCCCLXXVI. Abbatiam, eo loci à Stephano Chakio, dicto supra Vajvoda, scribant fuisse conditam. Demum Jenôense Anno millesimo quadring. quinquag. tertio à Georgio Paulini Ordinis Fratre exædificatum. Uno superabant Seraphici Eremitas domicilio; & sunt: S. Spiritûs; B. V. in Szemenye à Michaële Banfio excitatum; in Jenô; Ormosdini, item & Kanisæ, Joannis Kanisai Archiepiscopi Strig. opus. quæ duo postrema oppida etiamnum obtinent; uti & Tempellum S. Regis Ladislai medias inter aquas situm ijdem custodiunt; ubi hodie grandem Basilicam cum Monasterio communis Catholicorum religio construit. Ferunt: ope divina translatam isthuc ex Croatia ædiculam. illud certum, multa quotannis mortalium millia eò peregrinari, locúmque à prodigijs longè esse celeberrimum. sunt denique PP. Franciscani Sûmegini. Multùm & Societas JESU habitabat in Arce Lendvensi Banfianæ amata Familiæ, agrúmque Szaladiensem sudore exercebat & sangui-

ne. atque ex hoc primùm loco colonias duxit Ann. MDCXIV. Quinque-Ecclesiensem in urbem, summis id Turcâ (quod jure mireris) precibus efflagitante; Banfio non, nisì acceptis securitatis tabulis, ac fide Sacramento firmata, indulgente. Ætate hac, præter memorata modo loca, est quoque Franciscana Domus Csaktornyæ; quod oppidum vicino ex monte despectant Paulini, qui pariter Stridonensi, laudati suprà Hieronymi, Templo, à Petro Zrinio cum bonis omnibus Ordini illi collato, intendunt.

21. *Lingua.* Linguam Szaladienses Ungaricam loquuntur, & Illyricam; aut veriùs è Croatica & Slavonica mixtam.

22. *Wesprimiensis Comitatus.* In Besprimiensem sive Wesprimiensem hìc progredimur regionem, à Besprimio Civitate nobilissima nuncupatam. est illa à situ loci peramæna, ab Episcopali Sede veneranda; à Divi Emerici perpetuam ibidem cum Virginitate fidem sancientis casta; à frequentiori denique Sanctissimi Regis Stephani, ac integerrimæ Giselæ Reginæ Conjugis commoratione, sancta. *Oppida, Arces.* Oppidum deprimitur in vallem, in collem assurgit Arx; Arcis medium Templum Cathedrale obtinet grande, altum, magnificum. quod mœstissimis è ruderibus, paucis ab hinc annis, rursum in eum emersit splendorem, qui primo certet decori; liberalitate planè eximia, omnem Episcopatûs censum, in illud profundente, hodierno Celsissimo Strigoniensium Principe Emerico Esterhazio, dum Cancellarius Regni, ei quoque Provinciæ moderaretur. Principi Angelorum Michaëli sacrum est. sub hoc, sacellum hæret S. Georgij, Giselæ Matris munificentiâ An. MVI. conditum; Emerici Filij Castitatis voto An. MXX. dedicatum.

23. *Quis Fundator Episcopatûs.* Sunt, qui Templum illud quoque majus Giselæ veluti Fundatrici; Episcopatum autem Stephano tribuunt Fundatori; ac unum illorum esse, quos An. M. Roma probavit. Contrà alij sentiunt ante An. MI.

MI. atque adeo ante tempora Regum illorum floruisse utrumque. At quo tandem illo tempore? ante Ungari quàm Pannoniâ potirentur? tam enimverò incertum id, quàm quòd ullus Regum ante Stephanum Besprimium coluerit. Sed demus ultro istud: quid? ideóne à Stephano fundari non potuit, quia floruit ante Ungarorum has in terras adventum? assentior: si Schyticam illam hiemem, per totam, quà patet, Pannoniam latè grassantem, unus aliquis affirmaverit, tam fuisse isthìc piam, soli ut Ecclesiæ Besprimiensi suum relinqueret florem. Quòd si cum ceteris hunc pariter decoctum censeat, non erit, cur Stephanum gloriâ spoliet Fundatoris: qui licèt primus non fundavit; fundavit tamen, si prima illa in ruinam omnino ac solitudinem acta, pristino rursum flori restituit. Verùm ante Stephanum adhuc floruit Ecclesia Besprimiensis. Sub Ungaris? minimè profectò; nisì fortasse potiente rerum Geisa Stephani Progenitore, ubi primùm Religio Christiana suum nacta est ver An. cir. DCCCCLXXXIII. atque istud quidem haud caret fide; præsertim cùm Geisæ germanus Michaël appellaretur, fieri potuit: illius ut in solatium ac perennem memoriam Archangelo ædes illa poneretur, & magnificentius quoddam Sacerdotum Collegium; cui una ad Episcopatum deesset approbatio Romana. quam dum Stephanus impetrat, de suo adhoc prioribus addit fortunis, locíque auget majestatem, haud magnis efficit operis: author ut audiat, institutórque Episcopatûs Besprimiensis. atque hoc loquendi modo adversæ in speciem sententiæ mutuam faciles redibunt in gratiam. Quòd si ista minus ad genium fecerint, sentiat quis, quod verô proximius duxerit; ego rem in medio relinquo. addo tamen: injuriâ eos erroris argui, qui Stephano deferunt titulum Fundatoris; si modò unum adversùs hos depugnet Privilegium An. MI. Montis Pannoniæ Benedictinis datum; quippe: quòd in il-

An. 983.

lo legatur ſtetiſſe jam Epiſcopatus Beſprimienſis, Templúmque D. Michaëlis; non eſt tanti, ut ſi Giſelæ quidem jure indè negari poſſit titulus Fundatricis Templi, poſſit continuò ſimiliter & Stephano titulus Fundatoris Epiſcopatûs eripi; præſertim cùm Rex Sanctus jam quartum id temporis annum Ungariæ moderaretur, quo Privilegium illud edebatur. ſanè triennij ſpatium & ad molem illam omnem erigendam, & ad ditandam planè ſuffeciſſe exiſtimo; nisi velim Regem tam opum divitem aut non potuiſſe, aut tam cultûs Divini ardentem noluiſſe. quod utrumque quàm à recto diſcedat, quis non videt. Hæc aliquanto fuſius, & citra compendium, quod conſectamur; ſed loquendum ſemel erat, ut ſicubi par quæſtio exoriretur, non ſtatim, ùt novi, narrant ſcriptores, fidem eis haberes, veteribus adimeres: cùm multa & in illis poſterior limabit dies. nunc reliqua proſequamur.

24. *Reliqua Loca.*

Collegium Canonicorum felicibus illis temporibus ſex ultra tricenos alebat, nunc nè partem tertiam quidem. Epiſcoporum numerus eſt incertus. illa conſtant: quaternos Beſprimienſi ex Sede Strigonienſem ad Inſulam eſſe eluctatos; unum ad Colocenſem. Alter Dalmatis & Croatis jus Prorex dixit. Romanam alter purpuram ornavit. grandes pulli haud anguſtum indicant nidum. Secundas à Beſprimio Papa habet; oppidum à nobili incola frequens. arcem muri, foſſæque vallant. diu illam inſidebat miles Ungarus, Turcámque in plagam hanc latè dominantem excurſionibus divexabat. indè celebre etiamnum nomen *Papenſium Capitaneorum.* Exſurgit arx tertia Palota (Latinis Palatium) ab ornatu, artéque excellenti appellata; à qua & vicinum oppidum nomen traxit. Similiter Vaſonkô; Caſtrum loci, Paulum Kiniſium dicitur habere authorem. & verò vel hodie, medio in foro, dirum minatur barbaris heroum Principis marmor, patriámque expingit

git virtutem. Narrant: dum victor Turca arcem hanc subiret, visâ Kinisij statuâ, incredibili odio exarsisse barbarum, recrudescente tot cladium à dextera illa acceptarum memoria; arreptáque continuò fistula ferrea, in lapidem desævijsse. mirum dictu: resilit à saxo globus, & jaculantem equo proturbat ac vita. diceres: vel effigiem Pauli hostibus Christiani nominis esse infensam, & pro tutanda Repub. à morte pariter depugnare. Tempore hoc Zichijs paret, qui sese de Vasonkő scribunt. Hìc alia sequuntur loca: sua Tihanyium cum Arce; Mestrium; Apacza Vasarhelyinum; Devecser, Váraslőd, Hidvég, Fűred, Mezőkomarom, Kővágóőrs, S. Gallus; suis cum arcibus Szigliget, Somlyó, Csesnek; & id genus minoris famæ. Cetera, qui sacris moderatur Antistes, idem & Supremus Comes hæreditario munere civilibus intendit.

Præter Episcopium, magnúmque illud Canonicorum Collegium, vigebat pariter Besprimiensi in Castro Præpositura SS. Omnium, ubi rem Divinam similiter Clerus faciebat. Erat sua Præposito alteri Sedes in Eőrs quoque ad Divæ Magdalenæ. Geminas, quod scimus, hoc in Comitatu Benedicti Familia complebat Abbatias: Alteram in ipsis Bakoniæ silvæ visceribus (Bakony bél) honoribus S. Mauritij, impensis D. R. Stephani Annum circiter MXXX. positam; Tihanyensem alteram S. Aniani nomine insignem, quam An. MLV. erexit Andreas I. in ejusdem deinde sacrario terræ creditus. Totidem Cistercienſium reperio domus: alij Besprimij habitabant, quo MCLXXXIV. immigrârunt; nemora alij Bakonienſia obtinebant. Franciscanos Palota habuit; Besprimium rursus Dominicanos; Sorores S. Claræ Vasarhelyinum. Bina Paulinis gaudebant loca: Vasonkőjiensis Civitas, & laudata jam tertiùm silva Bakonienſis; quæ quanta quanta fuit, non tam ferarum latibulum, quàm Sanctorum fuit virorum Seminarium.

25. Loca Sacra.

huc ipsis Ordinis initijs Religio candidissima venit; Ungara illuc Pauli Kinisij pietas illam induxit An. millesſ. quadring. octuagesſ. tertio, ubi etiam constructo Michaëli Archangelo Templo, præter immensas opes, se ipsum à fatis dedit.

26. *S. Pauli Eremitæ Religioni primas in Ungaria Leges dat, jubente Pontifice, Episc. Besprimiensi.*

Sed quoniam de Paulinorum Claustris loquimur, non erit abs re dicere, quod haud modicum & Provinciæ Besprimiensi addet luminis, & gloriæ terræ istius Antistitibus. Sanctissimus ille Pauli Eremitæ Ordo spelæa inter ultimósque silvarum recessus Ungariæ natus, jam indè à temporibus Stephani Primi Regis quasi infantiam cepit, obscuris involutam tenebris; nec multum, nisì superis probè notam. ibant hac in ætate ducenti admodum supra decem annos ac quinque. emersit aliquando tandem diuturnis ex cunis, ac veluti pueritiam orsus, visus tantulum publico est in Diœcesi Quinque-Ecclesiensi, ac mox Strigoniensi; sed modicis indicijs, uti ætati illi ferè usuvenit. Felicioribus demum auspicijs exordia dedit adolescentiæ, vegetæ illi quidem, adque solem Ecclesiæ bellè comparatæ; quando jubente Urbano IV. Summo sacrorum Pontifice, Paulus Besprimiensium Præsul primas Cœnobiticæ vitæ regulas Familiæ Paulinæ dictavit Ann. MCCLXIII. Quantus Prudentiâ Paulus fuerit, imposito ex munere conijce; ac sedem tanti Viri capacem venerare. quippe: nescia vitiorum sancta illa tempora pares præclarissimis hominibus conferrebant dignitates; nec prece aut precio, sed virtute honorem vendebant. Porrò sub Episcopo Paulo novena Paulini incolebant domicilia in Besprimiensi Diœcesi, verùm non in eodem omnia Comitatu; quamvis isthìc quoque par est credere longè plura, ac commemoraverim, fuisse Religiosorum loca: præsertim cùm diuturniori tempore Reges Besprimij commorarentur, frequentésque circa Dynastæ habitarent, qui cum suorum Principum in res Divinas liberalitate certabant.

Sed

Sed est, quod queri possit de minori Majorum nostrorum diligentia. multa, narratione uberiori dignissima, cursim ac veluti per transitum dixerunt; plura lucem merita publicam, æterna nocte tumulârunt; illa ipsa quæ litteris commiserunt, quàm, magnam partem, confusa, quàm truncata, quam hiantia. Prænomina clarissimorum Virorum passim recitantur; at unde domo, quâ familiâ, etiamnum obscurum. ex eodem laboratur vitio circa loca, dum & ea appellantur duntaxat; qua autem in regione Ungariæ, quo in Comitatu sita fuerint, tacetur altum. hinc uti divites vocum sumus, ita rerum pauperes. quippe aliter se compillatorum munus habet, aliter nostrum: illi verba dedisse contenti, & verborum syllabum, nihil agunt præterea; cùm suo se rite functos officio arbitrentur. nobis non licet esse æquè liberis, quibus fixum constitutúmque est, non modò appellationem loci dare, sed sua locum quemque Provincia definire. Quamobrem desiderari hoc in opere patiemur illa, quæ extitisse accepimus, ubi autem gentium exstiterint, non assequimur: vel quia, quod modò questi sumus, prima illa tempora rerum istiuscemodi incuriosa fuêre; vel quia in veterum locum nova succesêre vocabula; vel quia attritis jam pridem ijs, quæ significabantur, minor quoque habita est cura verborum significantium; vel postremò quia cognomines inter civitates, locáque plura, haud facilè est distinguere, præsertim ubi nihil addideris, quô alterum secernas ab altero. accedit: à diversa peregrinarum gentium, quas Ungaria terris donavit, loquendi ratione, magnam in primæva illa nomina traductam barbariem; atque utì mores incolarum, perinde appellationes locorum vitium feciisse; ut adeo persæpe eveniat: id te loci tenere, quem inquiris; quoniam novum tibi solum condidit, nova recéns. que vocis corruptio. nimirum nec verborum impe-

27. *Ungari haud multum accurati erant in adnotandis rebus suis.*

rium æternum est. vertuntur illa, utì ætates, & mortalia omnia.

Excusantur tamen. Verùm hìc in Progenitores nostros decet nos pariter esse indulgentiores; nec turpem viris fortissimis inurere notam socordiæ: liberi illi à cupidine privatorum Ungariæ Anni, bonum honestúmque colebant; nec tam quisque elaborabat, clarum ut apud secuturos nomen obtineret, quàm ut communis omnium Respub. bellè haberet; vulgatissimum namque id temporis erat: ipsam sibi virtutem satis amplum in veras laudes explicare theatrum; nec egregium fore laudari, sed laudem mereri: quandoquidem illud vel despicatissimis obtingere; istud non, nisi hominibus præstantissimis. Idcirco commoda illi sua negligere, Patriæ studere; nihil ad futura gloriæ propriæ ornamenta derivare, omnia pacis & belli consilia in regni emolumenta conferre; nec eniti, quò in memoriam posterorum famam sui transmitterent, sed quò digna memoratu agerent. indè nulla eos conscribendæ olim historiæ cura solicitabat; nulli illis, in quos acta referrent, libri; pro Annalibus erant hastæ, gladij, acinaces, phaleræ, signa, debellatæ provinciæ, missa sub jugum regna, ducti in triumphum populi; adhoc errecta quot annis ditatáque de manubijs longè ampliſſima Divorum Templa; appensa Aris atque altaribus spolia magnificentissima; fundatáque Religiosorum domicilia plurima. porrò hæc ut in notitiam venirent gentium, pro minimo; superis ut essent quàm acceptissima, summi duxêre: quippe: esse, quàm legi, boni malebant.

Hìc rẽ prosequamur, & quæ nunc hoc in terræ tractu sacris facies, compendio demus: Tûske-Varinum, & Papense Oppidũ excolunt S. Pauli Filij; Besprimij agunt Patres, quibus à piis Scholis nomen; utrique strenuam erudiendæ juventuti operam navant. Ordo Seraphicus & apud hos diversatur, & apud illos; sed numero majore apud Papenses. Cistercienses in Zircs habitant;

bitant; Capucini in Bakonia ſilva, nomen loco Mór.

Communis nobilitati & plebi lingua patria eſt. peregrinas pauci noverunt, pauciores amârunt. Religio proceribus Catholica; qui à veteri Divi Regis Stephani, avitáque Ungarorum omnium pietate degenerârunt, pars populi Calvino adhærent. 28. *Lingua.*

E Beſprimienſium regione in Albenſem, ſeu Alba-Regalenſem, quà Sarviſius (latinis lutum & aqua; ſive mavis, lutulenta aqua) decurrit, eadem tranſitum faciamus viâ. modicam Ungariæ complectitur portionem; ſed quæ cum maximis certabat ſplendore, fortunis, titulis, gloria. Ab Urbe Alba Regali nomen ducit. in qua dum in altum, præter ætatis illius morem, candidiores conſurgunt muri, palatium initio Regis componentes; vulgus, ùt fit; inſolentem ſtructuræ elegantiam miratus, opus Albam Arcem (Fejér Vár) dixit. vulgo Principes ſubſcripsêre. preſſum ſubinde eſt in latina appellatione Arcis nomen, & ſignificantius ſuppoſitum, tandem ut Alba Regalis audiret: ſive quòd Regum habitationi condita fuiſſet; ſive quòd diſcrimen intercedere oporteret hanc inter ac reliquas Albas; ſive quòd, & iſtud malim, eo loci Reges Ungari jus regalis ſolij acquirerent; ſacróque incincti diademate, ſuprema cum poteſtate primùm conſiderent. facit ab opinione hac noſtra vetus ac patria denominatio; nam ſi Ungarorum Székes Fejér Vár Romanum reddideris, ſeſſilis Arx Alba prodibit. quod quidem ſedis vocabulum, Urbi huic, veluti ſingulare ac eximium, non eo mihi videtur attribui, quaſi domicilium ibi ſedémque perpetuam noſtri Principes fixerint, cùm ferme alibi diverſari conſuevêre; ſed quòd una illa in Civitate thronum conſcendere, legémque populo dare ceperint. Cetera geminas in urbes Alba olim dividebatur: interiorem alteram, alteram exteriorem. illam muri, prælatæque claudebant foſſæ; 29. Alba-Regalenſis *Comitatus.* *Urbs Alba-Regalis.*

istam longa ac lata suburbia; opus universum grandiores aggeres, & æterna ad stagna damnatæ aquæ. quæ quò magis imperviæ sunt homini juxtà ac pecori; tantò sui, fortunarúmque cives reddunt securiores. cessit nihilominus quandoque hostium furori quà pontis beneficio utentium, quà hiemis undas constringentis. & Turcam quidem ultra seculum pati coacta Regem, per quem potissimum deprædata, veteri ex magnificentia vix quid residui, præter locum, & nomen retinuit. exsurgit tamen ab An. millesſ. sexcentesſ. octuag. octavo, quo adversario erepta, regno restituta est; & lentis laboribus effœta rudera nobiliora efformat in ædificia.

30. *Templum Albense Regium.* Fuit interiori Urbi regia prorsus Basilica Numini Magnæ Ungarorum Dominæ à Stephano primo, & eo Divo Rege, tanto sumptu excitata, * parem ut sibi Ungaria tota nullam, Orbe universo videret quàm pauciſſimas. ultimum isthìc precium marmori, argento, auro; uniones ornabant omnia, & quidquid in gemmis magnum, aut mirabile. idem decus Aris, & supellectili Divinum ad cultum spectanti; de quibus præstat tacere, quàm pauca loqui. neque supra fidem esse hæc quisquam arbitretur: quandoquidem nemo Principum Ungaricum hac in æde diadema sumpsit, quin continuò ampliſſimis locum donis excoleret; néve in Divorum beneficio ingratus, neu in memoriam celebritatis suæ audiret iniquus, eò quisque adnitebatur: quò præclaro munere perennem Superûm emeret gratiam, mansurúmque consecutæ summæ dignitatis futuram apud ætatem erigeret trophæum. Adde: non fuisse aut susceptum à Regibus bellum; aut reportatos à victoribus triumphos: nisi & prius ab Albensi Regina ingentibus auxilia mercarentur largitionibus, quàm in arenam fuisset descensum; & pòst, ubi partâ victoriâ, miles domum repeteret, mille illi donativa, ceu Ungaricæ Authori gloriæ, addicerentur. huc itaque spo-

* *Paullo post An. MLI.*

lia

lia hostium inferebantur; & ex prædis sub hastam missis Mariæ veniebant, quibus vel ars primas dederat, vel materia. Deinde immensi thesauri, dum Regum corpora terræ mandarentur, in expiationem animarum isthuc profundebantur. certè Mathiæ Corvino cùm Filius Joannes justa persolveret, quæ attulit, quinque admodum & septuaginta aureûm nummûm millia exæquabant. nihil minus factum à decessorum Monarcharum sanguine vicinis, conjugibus, liberis. mitto jam largissimam ceterorum hujusce gentis Regulorum sacerrimam in Ædem munificentiam; alteram huic Cleri liberalitatem; effusas denique populi omnis donationes. quippe is se pro felicissimo æstimabat, cui obvenisset divino illo de Templo mereri; quod Sacro-Sanctum Ungaria semper habuit, Ungari veluti Regni Palladium adoravêre.

31 *Locus Coronationis, & Sepulturæ Regum Ung.*

Atque hoc illud fuit celeberrimum MARIÆ DEI Parentis domicilium, in quo uno inuncti, coronatíque per quingentos admodum annos Ungarico Imperio nascebantur Reges; ac in eodem, coronis defuncti, ferè condebantur. Sapienti istud, altáque Divi Stephani, majorúmque nostrorum institutione sancitum est: ipso ut coronæ suæ, majestatísque oriente sole meminissent Reges occasûs pariter subinde venturi; pompam hanc & apparatum quantumcunque splendidum, mox ab atro, luctuosóque excipiendum; post inaugurationem, lætásque acclamationes, inferias restare, mœstásque lacrimas; ibíque tandem locorum pedibus subditorum calcandos, ubi eorum in capita jus, potestatémque supremam adipiscuntur.

Ritus sepeliendi Reges.

Restat ut de sepulturæ modo quidpiam adjiciamus: cùm Regnum discessisse è vita Regem acciperet; quod dispositis partem in omnem equis, Præsulibus primùm, tum Proceribus, ac Civitatibus omnibus certos per indices nunciatum est; luctu omnia

continuò personare; musicâ, aliísque id genus hilaritatis, lætitiæque officijs Cives abstinere; componi ad mœrorem omnia, luridúmque squallorem; sed in primis templa fervere ubique, sacra ad Aras fieri, & justa persolvi funebria. Advolavêre deinde præcipui quíque in locum, in quo Rex ultimùm vixisset; cui & repetitis lacrimis, & redintegratis sacris iterum parentatum. Mox exquisitâ illâ, sed funestâ pompâ deductum Albam funus, Antistitibus, Principibus, ac infinitâ populi undâ comitante; aut aliam in Urbem, quam Rex moriens seu nominâsset, sive supremis signâsset tabulis. Ibi enimverò communis omnium comploratio, faciésque rerum funestissima. Operatum adhæc plures per dies rei Divinæ, & devota Cœlestibus Divis precij maximi munera. Mos fuit Ungaris, etiam triennio ipso, funeri Regum ingemere, quos illi quidem salutis publicæ arbitrabantur studiosiores. ita defletus deploratúsque est Ladislaus Sanctus; quo elato, communi totius populi consensu; nemine, quod mirêre, aut intercedente, aut contrà audente; omnis de Regno depulsa est hilaritas: nusquam convivia, ludi, saltationes, ne à pueris quidem celebratæ. promissa viris barba, intonsi capilli, neglectus mulierum mundus, atra omnia & horrida. Hæc incidenter, & occasione Basilicæ Albensis, inauguratione, sepulturâque Ungariæ Regum nominatissimæ.

32. *Quot Reges coronati; quot tumulati Albæ? item qui primi, qui ultimi?*

Jam autem operæ precium relaturum isthic me existimo, si quot Alba Reges diademate incinxit; quot terræ mandavit; præterea: cui primo, cui postremo; acclamationes, funebriáque persoluta; brevi enarravero. Ordior ab ultimo: Idem ille familiam Regum Albense in Mausoleum duxit, qui & in solium Divus Stephanus. Anno MXXXVIII. XVIII. Kal. Septemb. ipso Assumptæ Virginis sacro die Budæ * Cœlis; pòst, circiter finem Augusti, aut ini-

*Inchofer in An. Eccl. ad cit. An.

initia sequentis mensis, Albæ tumulo illatus est. Ordinem autem sepultorum Zapolius Joannes clausit. desiit vivere An. MDXL. XII. Kal. Aug. Szaszsebesini in Dacia; indè Budam, mox delatus Albam Regalem; mense Octobri, vita functorum censum auxit, & terminavit. atque ista extra dubitationem sunt; uti & illud: quòd Ferdinandus I. Albæ coronam ultimus sumserit An. MDXXVII. festa, quod vero similius est, Divi Emerici luce. At verò quis eandem illa ipsa in urbe primus acceperit, haud satis constat. S. Stephanum An. M. mense Augusto, * Sole, quo & DEI Parens cœleste injit imperium, ac diadema implevit, coronatum lego; locum coronationis nusquam reperio. Opinari de Buda, Strigonio, Besprimio, Jaurino licet; non item definire. Budam, veterem illam intelligo, antiquitas, locíque in primis opportunitas commendabat; Strigonium, natale Stephani solum, & habitatio; Besprimium, civitatis ea tempestate celebritas; Jaurinum, vis & jam tum munitio. nec omnino indignæ Urbes, quarum singulæ exorientem tum primùm Ungarici imperij solem excipiant, convenientíque Regibus pompa assurgant.

* *S. Stephanus ubi coronatus?*
* *Inchofer ad eundem Ann.*

Quod si quispiam ex me quærat: equanam tandem Urbium recens creatum Regem prima adoraverit? Strigonium arbitror; siquidem de quaternis illis duntaxat, quarum modò memini, sermo instituatur. nam præterquam quòd & patria fuerit, & Regia Stephani, etiam in principem id temporis Pontificiæ dignitatis evecta est Urbs illa sedem; ad cujus augendam majestatem id quoque apponendum videbatur: ut Stephanus Civitati ante ceteras sibi dilectæ gloriam conferret, quâ locis omnibus emineret. atque hæc, si rem assequor, veri speciem præseferunt.

Fortasse Strigonij.

Verùm si ad quattuor memoratas suprà urbes me nequaquam coarctaverim; nec omnino opus habeo,

hanc ut mihi imponam neceſſitatem ; bona aliorum cum gratia ajo: S. Stephanum primum Ungarorum Regem Alba Regalenſium in Urbe fuiſſe coronatum ; quamvis non ea in Baſilica ; de qua antea locuti ſumus, quoniam nondum illa Albam ornabat. Argumento opinioni meæ potiſſimum ſint : primùm quidem ejusdem Templi magnificentia ad uſque prodigium jam ab ipſo Stephano exculta. quod ego, concepto voto, factum reor. nam cùm minore quopiam in Virginis Sacrario, ea in urbis parte ſito, regalem indueretur Stephanus trabeam ; quò eidem Matri ac Magnæ Dominæ acceptorum inſignium gratiam referret, exiſtimo, pro ſolenni ſuo, Regem novum ſpopondiſſe: mox excitatum iri à ſe ibidem Delubrum coronatæ in cœlis Reginæ honoribus conſecrandum; cujus nec Stephanum puderet fundatorem, & Mariæ ſuos in Ungaros, ſuum in Ungariæ Regem, ſempiternam apud poſteros teſtaretur benevolentiam : plerumque enim ibi contrahuntur id genus debita, ubi expunguntur. Deinde faciunt iſthuc & exequiæ, ſupremis procul dubio Regiæ voluntatis tabulis, ut Albam deducerentur, imperatæ. nimirum: Monarcha Religioſiſſimus eodem illo in loco terminum imperio conſtituit, in quo fecerat exordium; eidem Urbi ſe mortuum, veluti grati animi loco, reddidit, in qua vivus ſummam authoritatem primùm obtinuerat. At enim utcunque res iſta ſe habeat; maximum certè apud me momentum habet uſus ipſe, longiſſimáque coronandorum Albæ Regum conſuetudo ; cujus quandoquidem initium nullis certum tenemus argumentis, quid vetat, ſi ad Stephanum deducamus? præſertim cùm majores noſtri tenaciſſimi ſemper eorum, obſervantiſſimíque vixêre, quæ à magno illo, divóque Rege geſta aut oculis uſurpârunt, aut famâ acceperunt. Petrus, *alter à Stephano Ungariæ Rex, poſteaquam ope Henrici, exercitum Abæ rivalis ſui profligâſſet, inſignia iterum

Probabilius Albæ Regalis.

* *Bonfinius Dec. 2. lib. 2. Inchofer ad An. MXLIII.*

Rei-

Reipub. capessurus, Albam Regalem An. millesimo quadragesimo quarto venit, ibique Rex salutatur. Ante inaugurationem hanc, aliam, quæ Albæ fuisset, Historiæ produnt nullam. sed nec locum nominant, in quo primùm Petrus conscenderit solium. quid igitur? fas sit mihi conjicere: ibi omnino in principio quoque ornatum diademate Petrum, ubi fuit & vice altera: tum quia nulla adversum succurrit ratio; tum quia restitutus throno Princeps satagebat: ipsa ut loci sanctitas Ungaros adverteret; fidei semel ac iterum datæ moneret; denique in officio deinceps contineret. Jam si primam Petri coronationem Albæ indulgemus, vix erit, unde Stephani pariter ipsa illa in Urbe celebratam animis pendeamus: sanè oculis omnium, memoriæque obversabantur acta sanctissimi Regis, dum Petrus Ungariæ præficeretur. Credámne igitur passuros Regni Proceres, alteram ut pompæ suæ deligeret Petrus Urbem, quam scilicet Stephanus non ante his solennibus dedicârat; aut Gyselam Reginam Viri amantissimam æquo laturam animo, tam repentina ut mutatione locus ille jaceret, qui Stephanum in imperium extulerat; & non potiùs operas omnes collaturam, quò perennem faceret futuras per Monarcharum consecrationes Urbi illi venerationem, quæ conjugem optimum coronaverat. Verùm è re quoque Petri fuit: Stephani, quem sanguine attingebat, instituta probare, etiam exprimere; Gyselæ voluntati, cujus unius patrocinio fors Petri stabat, obaudire; Dynastis ad extremum sana consulentibus morem gerere; ac, nisi ab hominibus abierit, ipso dominationis initio, haud omnia vertere, ac insuper habere.

Nec est, quòd quemquam moretur: Albam Regalem Urbem à Stephano conditam fuisse. nam etsi in istud concesserim, tamen nemo indè confecerit: non potuisse in illa sceptro Regem decorari. quoniam bene longo prius tempore exædificari ceperit, binis *Dissolvuntur adversa fundamenta.*

minimum, ternísve ante milleſimum annis. immo novum iſthinc in rem meam pondus: ut prudentiſſimus Dux Civitatem à ſe recens fundatam nobiliorem famâ, cive redderet frequentiorem; oportebat enimverò grande quodpiam in ea ſtatui monumentum; quod & hunc alliceret, & illam quaqua versùm proferret. At enim Strigonienſia Regiam inaugurationem vendicant ſibi palatia; adeo Geyſæ, Filióque dilecta. quippe: immenſus ille Stephani animus in publicam omnium ſalutem natas curas, uni impendit loco. humilis ingenij argumentum; & ad viles vulgi regulas, ſublimes Principum animos metientis. Regum intereſt: ut imperio, ita affectu latè patere. privatus eſſe deſijt, qui ad clavum conſedit. Tot nationum gentilis, tot locorum civis, Rex eſt; quot populos ditione, quot urbes imperio continet. Deinde ſi totus in ornando Strigonio fuit Stephanus, ecquid cauſæ adferemus: quòd Emericum ibi in lucem effundi noluerit; quòd ſepulcrum ſibi non erexerit; quòd perpetuam Regum ædem eſſe non juſſerit. nimirum: tantò amplior Principum gloria eſt, quantò latius eorum beneficia diffunduntur. Illud porrò, quòd Aba Moreſino in Templo, Cſanadienſi in Comitatu, inunctus ſit, difficultatem habet nullam; arcebant namque hominem per ſeditionem electum ab Alba Regali: metus Petri, Auſtriorum vicinia, arreptæ denique per malas artes Tyrannidis conſcientia. Ad ultimum, ſic ubi * legere erit: nondum tempore Abæ conſtitutam fuiſſe coronationi Regiæ certam ſedem; id conjecturam noſtram haud evertet: nam præterquam, quòd non vanè dici poſſit, ſi quando ſubinde publico Comitiorum decreto, Alba, nec Urbs altera, inaugurandis Regibus delecta fuerit; idcirco factum: ut nominatis Regibus audendi quidlibet eriperetur poteſtas; locúmque jam ab ipſo regni primordio hiſce initiatum cærimonijs pro libidine mutandi. accedit inſuper: ſanctionem

* Inchofer ad An. M. XLII.

nem eam propterea de Alba promulgatam, quòd à Divo Rege, præter Urbes alias, suæ fuisset coronationis affecta honore; quem ut sempiternum Dynastæ nostri loco redderent, decretum scripserunt. etenim: Lege rebus æternitatem comparamus. Sed nimius sum in vindicanda Alba Regalensium gloria; desino. Ceterùm consilio egi, non impetu. viam veluti indice monstrare contendi, qua veritas indagari possit, ubi desideratur authoritas. Neque tamen is sum, quin, si certiora quis protulerit, amplectar continuò aliena, deseram mea. certè etiam primo mihi reponetur in lucro, si æmulum nactus fuero, qui hæc retundat. erit namque (quod unum mihi in votis) unde tandem res clara evadat: ut enim ignem de silice elicias, alterum oportet altero impetas; haud aliter, ut quidpiam lucis obscura aliàs in re cernas, adversus esto affirmanti; rationémque ratione loco depellas.

Itaque ducto Regum Ungariæ censu à Divo Stephano ad usque Ferdinandum primum; & expuncto Aba, quem alio in loco inauguratum proximè diximus; Coronati Albæ Regalis sunt Reges septem ultra triginta. Nam quamvis Salamon Quinque-Ecclesijs regalia sumsisse insignia scribatur An. MLXIV. id tamen haud negat jam antea illum * Albæ, & fortasse vicibus iteratis unctum & ornatum: quoniam & MLIII. & rursus decennio pòst Rex publicè salutatus est, ac imperare jussus. immo solennitas illa Quinque-Ecclesiensis non tam coronatio, quàm fraterni in consanguineum animi significatio appellari debet: cùm non Pontificum manibus pro more Majorum, sed ipsiusmet Geysæ peracta feratur. Porrò & Vladislaum I. An. MCCCCXL. Alba Regem creavit; & licet non Apostolicâ illâ ac Sacrosanctâ, tamen Coronâ incinxit. Joannem autem Sigismundum Joannis Regis filium, cui infanti diadema im-

XXXVII. *Reges Albæ coronati.*

* *Turoczius p. 2. cap. 47. Albæ ait coronatum secundò.*

positum nonnemo * asserit, nequaquam accensendum Regibus arbitror: cùm id, factúmne sit, jure controvertatur. & siquidem fuerit, haud existimo tantum gratiâ unius & alterius authoritatem apud Ungariam valuisse, palàm ut eum universi adorarent, cui suffragium nunquam tulissent. Reges arbitrio communi, non privato leguntur. nec, quam ambitio imponit, corona Regem facit; sed quam liber populi assensus. Adde: cùm Alba Ferdinandeas amplexa fuerit partes eodem, quo Joannes ille natus est, anno; & quidem non longo pòst tempore; vix potuisse illum ibidem insigniri, nisi statim ac justa Parenti fuêre persoluta. quod quia nullo innititur fundamento, haud integrum mihi est affirmare. hactenus de numero coronatorum Albæ Regum.

* Petrus de Reva in Com. de sacra Corona.

Calculum hìc eorum jam inire deberem, qui Albæ Reges tumulati sunt. sed quoniam illos infra * nominaturus sim, ubi ortus, familias, gesta, mortem denique Ungariæ Monarcharum persequar; visum est mihi hìc loci silere; non tam nè actum agam, quàm ut brevitati consulam, tempori parcam. illud compendio dico: non omnes, quos Alba Reges, in publicos Regni labores exmisit; secundùm eorum fata rursum sinu recepit. Addo: si quando apud Scriptores Regis cujuspiam sepulturæ locus prematur, par est credere, illum Albæ reconditum, si in Ungaria quidem extinctus sit; idem sentio de inauguratione: quippe otiosum existimavêre Historici ea identidem repetere, quæ nec trivium latebant. quod vel indè intelligere licet: quoniam, si funus, si coronatio uspiam, præter Albam, contigerit; id verò perdiligenter plerisque omnibus recitatur. nempe quod insolens, & à communi semotum consuetudine videtur, vix est, qui negligendum putet.

*. Lib. II.

93. Præpositi Albensis Privilegia.

Quò porrò augustissimi Albensis Templi ampliùs ornaret Majestatem Rex sanctissimus: adjecit dignum

gnum Stephano Sacerdotum Collegium; dedit ad hoc Antistitem tot cumulatum privilegijs, primus ut esset totâ ferè Ungariâ ab immunitatum splendore: tributa populi omnia, Ecclesiæ pendi solita & terræ Principi; ei, suóque Collegio voluit parere. Cautum denique esse, Regem Reginámve instituí, nisì eodem præsente. quod postremum haud obscurè indicat: jam tum per Divum Fundatorem constitutum Regibus coronandis Alba Regalense Templum.

34. *Excidium Templi Albani.*

Magnificentissima ista Albanorum Ædes Annis admodum quingentis nonaginta novem stetit; fundatam namque MII. debellato Gyula ex spolijs Transsilvanicis tradunt; depopulatam autem novimus ab efferato incendio MDCI. dum Christiani Turcis Civitatem eriperent. Superstites mansère muri potiorem partem. hos, recuperatâ mox Albâ, barbarus ille funditùs diruit, & in redintegranda mœnia cedere jussit. hæc longo post intervallo Annus MDCCII. magnam in ruinam egit. indoluêre intempestivis consilijs ventura bellorum Civilium tempora; repetierunt saxa & lapides à stagnis, quibus hausti erant; repetierunt inquam labore immani, sumptu permagno, fructu exiguo. Quòd si futuris perinde intenderemus ac præsentibus; tempore pacis & prævideremus & provideremus, quæ belli sunt: labimur sæpe neglectu horum: subit animum facti pœnitentia, sed sera.

35. *Et Reliquiarum SS. Regum.*

Eadem illa calamitosissima tempestate Sanctissimorum pariter Ungariæ Regum corpora interiêre. cùm enim incendium ex dispositò, Templum propiùs, per Turcam nitrato pulvere erupisset; quis credat, non illum criptas quoque subterraneas repleviſſe? ut tantò fieret strages altior, quantò majori vi profundioribus è locis ignis in superna eluctatur. Ceterùm haud erat tantâ abstinentiâ prædator ille Asiaticus, non ut antè manus thesauris injecerit, sepulcráque regia ornamentis exspoliârit, quamvis in Cineres nihil auderet præterea.

Sed ſive flammarum rabie, ſive vitio ſubſtructionum, ſeu demum hoſtili ſacrilegio magnas illas Reliquias geminus ereptas; certè ſi, quod res eſt, dicimus: nos ipſi Ungari grande illud ac unum Patriæ depoſitum evertimus, deprædati ſumus; quando peregrinas hæreſes hoſpitio accepimus, civitate donavimus, in ſummam Regum illorum veræ religionis ſtudioſiſſimorum infamiam. Quem fugit: quoties infauſto arſit igne Albanum Templum; quoties direpta Alba; enecti Cives; convulſa omnia; ſemper tamen parcitum eſt exuvijs ſanctiſſimis. nec ira tantum flammarum, nec furor potuit inimicorum, ut vel tantulum injuriâ afficerentur. Stabat videlicet potens illa DEI manus pro oſſibus quoque Majorum noſtrorum; dum fides, pietásque eorum ſtaret in mentibus filiorum. At ubi ſacra Patria exteris profanavimus dogmatibus; ubi Catholicam veritatem à Stephano, ceterísque continenti ſerie Regibus, quingentos ipſos annos, quaſi per manus traditam, transmiſsámque hæreditatem ejuravimus; tum enimverò, atque eo tempore, tanti theſauri jacturam fecimus. ſeverâ equidem, ſed juſtâ Numinis ſententiâ: neque enim digni corporibus illis eramus, quorum animas per inauditum ſcelus erroris poſtulare non verebamur: quando valere juſſa eorum religione, tanquam minus æternam ad felicitatem faciente; novitias potiore loco repoſuimus opiniones. Senſimus transfugij iſtius fœdiſſimi pœnas graviſſimas. & porrò graviores minatur Cœlum, niſi toties icti ſapiamus. Exonera aliquando Ungaria hoc temet veneno, nósque de integro in ſalutem repone!

Cauſa vera tantæ jacturæ.

Præter Urbem, in qua ita diu moras traximus, non locus ullus in regione Albana, qui nominari magnopere expetat. Adſtabant olim Regiæ illi, velut pediſſequæ, circum undique Arces, Caſtella, Oppida. abſumta alia flammis, ſolo alia æquata, vel nomina cum opibus amiſêre. nam poſt An. milleſ.

36. Loca alia obſcuri nominis.

milleſ. quingent. quadrag. tertium, quo Turcicum coacta eſt accipere Imperium Alba, plagis iſtis pro theatro belli conſtitutis, modò à Chriſtianis, à Barbaris modò, tanta ubique clades illata eſt, ut præter informia rerum cadavera, vix quid eſt, quod intueâre. Eſt hæc infelicitas ſempiterna felicis terræ: ut cùm ab omnibus diligatur, ab omnibus malè accipiatur; plurésque inter procos patiatur ipſa, ſimul amorum, odiorum ſimul ſcopus. Alba Regalenſi Comitatui Supremus Comes præeſt nunc unus de genere Eſterhaziorum.

De celeberrima illa Virginis DEI Parentis Baſilica fusè diximus; de Præpoſitura ſimiliter Templo adnexa, quæ Major audiebat; cùm Minor alia, extra Urbis muros S. Nicolao devota, diceretur. Adſtruxerat Mariano illi Fano Ludovicus I. regium admodum ſacellum. appoſuit continuò Eliſabeth Uxor ſecundùm Regis fatum, nobile Canonicorum Collegium, cui à Divo Petro nomen indidit. Habuêre ſuum & Cruciferi Rhodij ad S. Joannem frequentem Conventum, à S. Stephano de Alba nuncupatum. coluêre præterea locum Auguſtiniani, Dominicani, & Virgines clauſtro addictæ. Hoc tempore in Urbe degunt PP. Seraphici, qui fundatum à Ladislao IV. An. MCCLXXX. cœnobium, iterum receperunt. accedunt Jeſuitæ; tum Carmelitæ calceati An. MDCLXXXVIII. Albam ingreſſi. Extra Albam in Oppido Janoſi Virginis DEIparæ cultui erexerat Abbatiam Laurentius Dux Uilakius, quam fidei Benedictinorum commendavit. fuit Abbatia alia in Jaſzt. Non eſt mihi dubium, multò plures hac in Provincia extitiſſe Religioſorũ ædes, utpote opulenta in terra, & Nobilium incolarum referta. ſed quis cenſebit? quarũ vel nomina, quòd jam de Oppidis queſtus ſum, nobis invidit temporum iniquitas. Ad extremum, non injuriâ ſacrorum locorum, iſthuc addo & ipſum Divi Regis ſacerrimum Palatium, in quo

37. *Loca Sacra.*

Angelus ille humana ſub ſpecie abditus, & Dux Ungariæ integerrimus, in lucem editus eſt Emericus An. MVII. quæ nativitas Filij haud in minorem cedit gloriam Albenſibus, quàm Progenitoris exortus Strigonienſibus. Terræ fœcunditas, de fructibus, quos parit, cognoſcitur; Loci præſtantia, de Viris, quos progenerat. ibi cœli temperies, hìc Providentia Numinis rerum ſatagit. terra illa aëri, locus ille DEO curæ eſt.

S. Emericus Albæ naſcitur.

Placet iſthìc paucis de Conditore Albanæ Urbis adjicere. Parentem ejus multi eum ipſum faciunt, quem Monarchiæ Ungaricæ, utì ſuprà dixeram. alij in dubium revocant. alij, etiam Patrij Scriptores, fatentur ſe ignorare. Ego, ſi divinare auſim, fortaſſe non incommodè ſtatuerim: Jam ante aditum à Stephano regnum, ædificari cæptam Albam; ornatam deinceps per illum, & ampliſſimè habitatam. indè Authoris ei nomen, & fama conciliata. uſu quippe ac experientia accepimus: totam ferè operis utcunque magni & præclari gloriam penes illum reſidere, qui ſupremam imponit manum, non qui fundamenta jacit. neque iſtud fraudi cuiquam eſſe poterit: quoniam vel vulgo, non inchoâſſe, ſed finiviſſe magna, pro magno habetur. Duplici autem potiſſimum ratione ad ſentiendum iſtud moveor. primùm, quòd jam temporibus Geyſæ Ducis plures è Germania, aliiſque Orbis Chriſtiani partibus advenæ Ungariam coluêre; qui Principem Romana myſteria amplexum adhortari minimè neglexerunt: ut prioribus tot bellis deſpoliatæ, exhauſtæque regioni pro poteſtate ſuccurreret; ruinas tolleret; damna ſarciret; & ſiquidem proſpectum vellet patriæ, eam incolis, adeóque Urbibus augeret. Geyſa, ut erat animo ad audendum regio, & in commune Reipub. bonum voluntate incredibili; fecit quantum per vires licuit, & tempus; quóve locorum invitabat commoditas, novas colonias deduxit. Atque omnino

38. *Quis Albæ Conditor?*

cre-

creditu haud facile est, vicinas Strigonio plagas non fuisse Principi in primis curæ : cùm istud & è re Geysæ regnum molientis foret ; nec deceret media quasi in solitudine regiam consistere. Deinde, quoniam Albam initio statim imperij in delicijs Stephanus censuerit, eámque frequentior habitârit, satis indicat: Civitatem Parentis ad summum tempore, non illam quidem absolutam, tamen stetisse inchoatam, potioríque parte incolas habuisse. nam quemadmodum hominum, ita Urbium vita, suarum patitur ætatum vicissitudinem: est utrisque infantia, est pueritia, adolescentia, juventus, ætas virilis, senectus tandem, ac senium. certis singulæ definiuntur terminis; nec ab una transitus in alteram, nisi per gradus. non, ut nasceris, continuò virum sapis ; dandi ante sui nucibus anni, & crepundijs. haud dissimili fato stringuntur Urbes: nullæ incipiunt simul, simul perfectionem assequuntur. multo certè opus est sole, indè ut demum isthuc pervenias. Itaque indulgeamus Geysæ, aut etiam alijs, cunabula primósque annos Albanæ Urbis, & multarum rerum præterea; quando id & magnæ rationes exigunt, & vix ullæ dissuadent; juventutem deinde, virilísque ætatis exordia Stephani industriæ cedamus. qua quidem loquendi, sentiendíque normâ obtinebimus: ut nec his fidem adimamus, qui negant; & illos vera locutos tueamur, qui affirmant sanctum Regem esse Albæ Fundatorem: quandoquidem asserimus, Stephanum à jactis Urbis fundamentis authorem nominari minimè posse; & nihilominus ab imposito operi fastigio jure optimo debere.

39. *Lingua.*

Vis mira aëris Ungarici.

Commune Incolis idioma patrium est. advenis Theutonicum. sed & isti in illud transeunt. Est nempe hæc admirabilis aëris Ungarici vis ac potentia : ut exteras quascunque gentes; siquidem hac semel in terra sedem fixerint ; velint, nolint, efficiat domesticas linguâ, genio, moribus, animo. at con-

trà ſervat Ungarus media etiam in Aſia avitum ſanguinem; nec tantum in illum exotici poſſunt cœli, naturam ut vertant. Sed miſſa hæc faciamus; & Raſcianicam cum Croatica adjungamus lingua, quæ pariter in nonnullis pagis audiuntur. Religione ſunt Catholici; pauci hæretici: nam plerumque ubi triticum, ibi & lolia.

40. Piliſienſis Comitatus.

E regia Albanorum Urbe in alteram multò magnificentiorem progredimur Budam, Regum Ungarorum palatium, Orbis terrarum miraculum; adeoque Piliſienſem Comitatum inviſemus. Nomen illi à monte Pilis verticem raſo adhæſit. Principem inter regiones Ungariæ tenuit locũ, dum Reges Buda teneret.

41. Buda moderna.

Prima illi Urbs, quæ regni caput eſt, quam modò nominavi, Buda. Nota gentibus omnibus, omnibus Hiſtorijs celebrata. Extenditur per montem, ſolido è ſaxo natura artifice conflatum; ad quem etiam dextrorſum arx, ſeu veriùs Urbs altera Urbi nectitur, ſed declinante paullum in humilitatem loco. circuit incolas murus ſua per mœnia hinc, illinc interceptus; veteri opere, & illo ſolidiſſimo. qui arcem ambiebat, Anno ſeculi hujus quinto decimo quinos in angulos efformatus eſt; quæ propugnacula, nova cum Arce, Auguſtiſſimi Cæſ. Regis noſtri, ac Ungariæ reparatoris CAROLI VI. providentia Budæ dedit. Ædes in Urbe aliæ jam ſtant ad decorem; ſplendorem aliæ modò reparant, & triſte excutiunt buſtum. Mons ipſe totus propemodum ſubfoſſus, alteram olim quaſi ſubterraneam efficiebat Budam; hodie pro cellis vinarijs cavernæ illæ ſunt, à ſaxi firmitate, nativo frigore, rara ſiccitate jure mirabiles. Eſt in Urbe, regia Baſilica, Virgini Matri exſtructa veriùs à Matthia Corvino, potentiſſimo illo maximóque Rege; avitum enim gentis Corvinæ inſigne turris præfert cum Anno MCCCCLXXV. quod ſanè nunquam Heros glorioſiſſimus præfixiſſet, niſi opus univerſum unius illius bene-

beneficio ſtaret: quippe haud regium eſſe puto, de alieno laudem emendicare, præſertim cùm abundè habeas, unde emas de tuo. Templum hoc unum reſiduum barbarus furor Budæ indulſit. Stipant illud modò, hinc quidem Academicum Societatis JESU * Collegium, non humile Szécsénianæ pietatis monumentum; illinc Seminarium Cleri, & patriæ juventutis, ejusdem Principis & Pontificis Georgij munificentiâ cultiſſimum. Habet ſuum & Senatus Urbis ad Curiam ſacellum pulcrum, ac elegans; ſuum item Carmelus locum, & Ordo Seraphicus; denique ſuum Divæ Claræ Sorores, ante tres & decem annos eò ingreſſæ. Jam verò Buda hæc ad Orientem aſpicit Danubium; hunc inter ac montem ſuum, Aquaticam, utì dicunt, Civitatem, & ipſam muro firmam; ſunt & huic ædificia urbe nobili non indigna. gemina item cum Templis cœnobia: Alterum Franciſcanorum Provinciæ Boſniæ; Capucinorum alterum. Meridiem versùs Raſciana Civitas eſt; ubi quales incolæ, talia & palatia; indè monte S. Gerardi, hinc Budenſi clauduntur. Septemtrionem inter & Occaſum Civitas nova in longum protenditur, & tantum non novam veteri conjungit Budam. in hac Auguſtiniani de larga Templum habent, & Cœnobium exſtruunt peramplum. hæc facies eſt modernæ Budenſis Urbis.

* Fundatum An. MDC LXXXVII.

Qualis autem, & quàm omni omnino ex parte magnifica fuerit Buda, colentibus eam Ungarorũ Regibus, cogitare forſitan poterimus, edicere pro dignitate nunquam. Scripſerunt illam, ſummísque extulerunt laudibus domeſtici juxtà, ac externi. ut adeo ſupervacaneum duxerim ea hunc in locum transferre, quæ ad omnium manus ſunt. illud brevi dixiſſe ſufficerit: quidquid artis Græcia, elegantiæ Italia, pretioſi Hiſpania, magnifici Germania, prodigij Gallia unquam vidit, id ſuam in Budam conferre Monarchæ illi ſatagebant. nec mirum: ornatus enim Urbis il-

42. Buda prior.

lius trium admodum seculorum labor fuit & sudor. Initio montem hunc Præpositus Budæ veteris, de qua infrà, possedit. arrisit homini peramœnus loci situs: ergo castellum locat, & munitionem. huc ille animi causâ itare; & si res ita exigeret, etiam opes suas recondere. pauci interea labuntur anni, & ecce totam Tartarus inundat Ungariam An. MCCXLI. cujus ut furori sese subducerent Budensium nonnulli, castellum illud petierunt, & ampliùs firmârunt. Stetit inconcussum cadente fermè Ungaria, & omnem hostis elusit vim, ac rabiem. hinc loco habitus honor, & æstimatio. Quare pacatis subinde rebus, Bela IV. animum adjecit: Urbem monti imponere, eámque diligentiâ, quanta posset maxima, in futura regni pericula comparare. Itaque, quod bene superi Ungariæ vertant, bene Ungaris, ad An. MCCLXVII. novæ Budæ fundamenta ponuntur. valla cum muris exsurgunt. ædes, ac domicilia montem complent. sed modicus erat rebus splendor, uti initia omnium secumferunt. Triennium propè, operas Belæ Regis habuit Buda. conditore porrò vitâ defuncto, diu luxit primam sortem. nec enim per bella quà civilia, quà externa, benignum Regis alicujus experta est vultum. donec tandem Ludovicus I. post centum ferè ab exortu Urbis annos, eam restaurare, atque adeo amplissimè augere & ornare decrevisset. Accepit hunc primum Regem incolam Buda; cum Rege innumeros Principes; formam denique & magnificentiam summam. Quæ cùm se jam Orbis Ungarici caput miraretur, tantum abfuit, ut diuturnæ illi moræ indoleret; ut etiam damna quæcunque tulisset, reponeret in lucro; siquidem decus illud accepisset, in cujus comparatione jactura omnis præmium videbatur, quando per eam fastigium istud obtinuerit. Atque omnino jam indè à Ludovici temporibus sedes Regum Buda fuit ad usque Joannem Zapolium; post cujus fata, Ungariæ primùm erepta est, & Tur-

& Turcis ſervire juſſa. ſed de hoc ſubinde, nunc incrementa Urbis perſequamur. Secundùm Ludovici mortem Sigismundus Rex, idémque Imperator omnem ornandæ Budæ laborem impendit: Arcem in primis excoluit; Sacra auxit; oblectamenta externa adjecit. Sed Matthias ille Corvinus de omnium conatibus palmam tulit, quando Urbem unam orbis compendium reddidit. Uladislaus deinceps vivarijs ferarum, Palatia addidit, & regales illas ruſticationes protendit. Joannes ad extremum vallis, propugnaculísque ampliùs firmavit. hæc illa prior Buda.

45. *Budæ oppugnationes, & ruinæ.*

Obſidia Urbium, earúmque expugnationes hac in mea Ungariæ deſcriptione negligo, & conſultò quidem; nec, nisì carptim, ſic ubi res exigat, & quaſi aliud agam, edico: quoniam de bellis perpetua ſerie loqui inſtitui tempore alio, & loco. Verùm habenda eſt Urbis tantæ ratio, eíque uni deferendum, quod ceteris omnibus negatur: quò continenti narratione intelligatur tandem, unde Budæ illius ruina, & excidium. ac etiam, quis, qualísve locus fuerit, cujus obtinendi causâ, Aſia illinc & Africa conjuratis armis; Europa hinc univerſa plusquam ſeculo uno ac dimidio conſtantiſſimis animis decertârit. Idem ille Annus MDXXVI. qui fatalis fuit toti Ungariæ, vulnus pariter ejuſdem Capiti, Budæ inflixit. cæditur Ludovicus II. ac potior cum Rege Ungarus Mohaczenſibus in campis IV. Kal. Sep. fama infelicis prælij celerrimè in Urbem advolat. Regina malè ſibi metuens continuò Poſonium diſcedit. Sequuntur, qui aderant; Principes, populus, miles. vacua facta eſt Buda, nè gregario uno ad portas remanente. tantum poteſt in animos timor. Solymanus victoriâ tumidus triumphantia circumfert ſigna, & Urbem ingreditur VII. Idus Sep. ſinè pugna, ſinè ſanguine. quattuor & decem dies hoſpitem habuit barbarum; quibus elapſis, quemadmodum

Primùm Buda in hoſtium manus venit 1526. 7 Septemb.

Deſeritur à Turca.

repererat, ita solitariam reliquit, ablatis duntaxat nonnullis simulacris ab arte æstimatis. ceterùm temperâsse Turcam ab exspoliationibus, & incendijs, quis credat? certè singularem illius scilicet mansuetudinem satìs declarant cæsa hoc tempore, ínque servitutem abacta ducenta & ampliùs Ungarorum millia.

Intrat Zapolius Budam eod. An. 10. Octob. Ubi porrò hostis excessit Regno; adest sinè mora Joannes Zapolius, & Budâ potitur VI. Idus Octob. sed non exigit in illa annum ipsum. nam Ferdinandus

Ferdin. eam occupat An. 1527. 20. Aug. I. An. MDXXVII. rumore adventûs sui, Joannem in terrorem primùm, tum fugam agit; Urbémque defensore spoliatam ingreditur XIII. Kal. Sep. non biennium integrum abit, cùm suppetias Joanni fert Solymanus, & undenos post assultus Urbem Ferdi-

Solymanus rursum eam capit Anno 1529. & Zapolio tradit. nando eripit, Zapolio tradit, exeunte Anni MDXXIX. æstate, mense Augusto. Nadasdius Urbi & Arci præerat. Servâsset omnia; si suam miles exterus fidem. hic seu tædio laborum victus, seu promissis captus, primùm deditionem Præfecto suadere; tum vehementius urgere; demum imperata detrectare. egit, ut perduellioni intercederet Nadasdius. frustra omnia. capitur à militibus Dux; in carcerem compingitur; Buda patet; Turca intromittitur. tulit utraque pars justum facti præmium: qui deditionem fecêre, vitâ multantur; qui hostibus obstabat, laude excolitur, libertate donatur. adeo nullum tam ferum pectus est, quod virtutem undique oderit, vitia probârit. Acerbior erat, quàm ferre posset, Fer-

Oppugnatur secundo Buda An. 1530. sed non capitur. dinandi dolor; cùm videret rivalem suum regiam in Urbem dominari. igitur Rogendorffium belli Imp. creat; útque Budam vindicet, in mandatis dat. Morem ille continuò gerit; tardior nihilominus propter mœnia consedit. hinc salus Joanni ab hoste. nam

Istvanf. lib. 11. dum Rogendorffius ad Vissegradum ac Vaciam moras trahit, spatium concedit inimico, & locum muniendi, & Turcam Belgrado evocandi. Adest igitur Mehemetes; sibi consulit Rogendorffius; Urbs oppugna-

pugnatore, Zapolius metu liberatur. at enim carô hæc libertas Ungariam constitit: dena quippe mortalium millia in numerum mancipiorum censa, & in barbariam translata sunt, vergente in finem An. MDXXX. & ipso mense Decembri. Hìc decennium quievit Buda; quo in ea rerum potiebatur Joannes. ubi autem vivere is desijt; repetit Urbem Ferdinandus initio per Legatum, tum armato milite. Qui exercitum ductabat, erat homo crudo animo, & vel socijs Ungaris infesto. quare dum seditionem in castris, quam pro prudentia Ducis sedare debebat, ipse amplius accenderet; re infecta discedere coactus est An. MDXL. hòc majore nominis sui infamia, quòd locus ab Isabella, & illa quidem nec bellicis artibus erudita muliercula, & recenti Regis mariti morte afflicta defenderetur. meruit hanc famæ notam; quippe novisset militi moderari, si sibi. belli fortuna apud illum fermè divertere amat; qui utì armorum, ita affectuum obtinuit imperium. facilè illud cesserit, si hoc fuerit infirmum. Eodem ex morbo laborabat alter fortè à priori contracto; hinc pariter res illi malè cecidit, & Buda propè è manibus dilapsa est. An. MDXLI. numerosissimum, selectissimúmque militem muris admovet. placidis initio, mox armatis precibus deditionem postulat; non auditur. ergo ruinis murorum intendit; noctis beneficio reparantur. irrumpit denique, relicto ad sarcinas Ungaro; repellitur, cæditur. necquidquam admoti cuniculi, artésque Martis profecêre. Interea Franciscus Revajus, unus Ungarorum Procerum, animos Civium periclitari, onerare promissis, útque Ferdinando sese dederent, pro virili parte elaborare. nec labor vanus. promittunt deditionem Budenses. nox signatur; & porta præterea, quâ pateat in Urbem accessus. Revajus, nè quid inconsulto Duce ageret, rem totam ad eum refert. hic, quia jam mente ægrotabat, ut Revajus castris se contineret, imperat. nec omnino de-

Tertiò oppugnatur An. 1540. sed irrito conatu.

Istv. l. 14.

Quartò oppugnatur An. 1541. sed incassum.

fuit juſſis Ungarus. Jam autem opportunam hanc nactus occaſionem Dux memorabili quopiam facinore nomen ſuum in poſteros transmittendi, ſtatuit rem univerſam per ſeſe exequi; alienóque de ære, gloriæ ſuæ incrementa comparare. arceſſit itaque militem ſuum, eúmque jubet delectum habere; ad condictum tempus, locúmque adeſſe; Urbem denique ingredi. habet, adeſt, ingreditur. hactenus proſperè: quippe conjurati ſtetêre fidei, & parati ad portam. verùm ubi adeſſe exterum vident, haud ex vano ſuſpicati, proditionem nequaquam ex animi ſententia ceſſuram, inſalutatis ſuis, eadem ipſa portâ Urbe profugiunt. Miles jam forum ſubierat; qui dum ex lingua, veſte, armis à prætereuntibus alius ab Ungaro eſſe cognoſcitur; conclamatur primùm; tum in arma ruunt civis juxtà ac miles; dimicatur undique fortiter; denique funduntur, ac fugantur. pauci, qui rei malè geſtæ nuncium ferrent, in caſtra reverſi ſunt. triumphâſſes belli Imp., ſi infra commoda Ferdinandi Regis, invidiam, tuámque cupiditatem habuiſſes. Dum autem dies ex die in obſidione Budenſi trahitur, adſunt auxiliares Turcarum copiæ; deinde venit & ipſe Solymanus. hìc in arcto ſe conſpicatus Dux noſter, ſerò conſilia ſua damnare, fugámque meditari. carpit tamen noctu iter. ſed inſtat hoſtis, & propemodum ad internecionem cædit fugientem. deſiderata è Chriſtianis ſunt viginti admodum millia; quibus nonnulli quinque adjiciunt; caſtra omnia, ingénsque belli apparatus Turcæ in prædam ceſsêre. Pòſt, ubi noſtri ſtatione depulſi ſunt, relegata in Tranſſilvaniam Regina, ſuo Budam impler præſidio Imperator barbarus. verbo, quò illam pupillo Iſabellæ ſervaret; re autem vera, quò ſibi tyrannidem in Ungaria firmaret. ingreſſus Urbem eſt An. MDXLI. IV. non. Sep. juxta alios III. Kal. Sep. habiturus in eam imperium per centum ipſos & quadraginta quinque annos. atque hæc illa

Vide Iſtvanfium lib. 14.

Turca Budam occupat 2. Sept.

Fuit ſub illo An. 145.

infe-

infelix est non Budæ modò, sed Ungariæ universæ servitus, in quam Regnum tam nobile popularium factio præcipitavit, ingemiscente ad ruinam toto terrarum orbe. Sed suum ut reponatur in locum, pristináque gaudeat libertate propugnaculum nominis Christiani, agent Ecclesiæ Pontifices, Romæ Imperatores, populorum Reges; haud tamen voto potientur. Leopoldo I. vindicatæ Budæ gloria reservatur; qui Mariâ Ungarorum Dominâ auxiliatrice, Stephano eorundem Rege primo belli Imperatore, pugnabit, vincet. verùm de his postea. nunc ad anteactos labores revertamur. captâ Budâ, sensit inflictum Ungariæ capiti vulnus universa Europa. accensa sunt bonorum studia, & ad exturbandum Turcam instincta. Paulus III. summus sacrorum Antistes præclaram armatorum expedit manum. Imperium Romanum triginta & octo millia submittit. Ungaria, quamvis magnam partem attrita, quinque supra decem millia ex suo censet. alij præterea cum alijs adsunt. universim ad septuaginta millia. Dux exercitûs nominatur Joachimus Brandeburgus Princeps, splendidum nomen, non item marte felix. * hic tam illustri comitatus milite, non dico, cepit; sed nè quidem bene Budam vidit. Pestinense Oppidum levi opera impetijt duntaxat, tum revertit. nimirum interest plurimùm ad felicem belli aleam, quam audaci manu jaciatur. cautum Ducem esse, semper expedit; timidum, nunquam. Et verò quantum magnanima virtus possit, Annus MDLXXXVIII. illustri experientia ad ipsam Budam, palàm fecit. nam cùm Matthias Archidux, Princeps fortis & impavidus Urbem hosti ereptum iret; tantùm uno ac altero die gloriæ comparavit, quantum alij nè mensibus multis: eripuit enim, simul ac Budensem agrum attigit, suburbia omnia, Civitatem Aquaticam, munitionem S. Gerardi, ac plagam ferme omnem circumjacentem. sanè & Urbem cum

* An. 1542.

Quintò oppugnatur, nullo iterum successu, An. 1598.

arce ſub jugum miſiſſet, nisi jam & Cœli ſcelera Chriſtianorum indignati pro Turcis depugnâſſent, magnáque tempeſtatum vi ad deſerendam obſidionem coëgiſſent. Idem illud durum, ac implacabile cœlum obſtitit, quò minùs fauſtiſſimis cæpta auſpicijs Anni MDCII. oppugnatio, deſideratum ſortiri potuerit exitum. Jam Peſtana Civitas ſuccubuerat; jam turrim aquariam tormenta proſtraverant; loca circum omnia Chriſtianos habebant; Turcas fames exedebat; una reſtabat urbs brevi ſubdenda. verùm intolerabilis aër ventis, pluvijs, nive, glacie militem noſtrum urgere non deſtitit, dum ille oppugnatione deſiſteret. His ipſis præſidijs rurſum conatus omnes eluſit Buda Anno MDCLXXXIV. nam poſteaquam Chriſtianus miles Turcam ſuppetias obſeſſis ferentem ſemel ac iterum profligâſſet, nihilque propiùs jam eſſet factum, quàm ut continuò urbe hoſtis decederet; ſævities frigoris ſpebus interceſſit, finémque victoriarum Heroum è manibus extorſit. diceres conjurâſſe cœlos adversùm fideles pro infidelibus: adeò quoties hi victi ab illis, toties de victoribus relati triumphi; non virtute hoſtium, ſed aëris intemperie, fidam nimiùm barbaro operam locante. At tandem deſinamus queri; ſummo Cœlorum Regi curæ ſumus. temperavit hactenus victorias noſtras clade aliqua ſingulari, quò domeſticis diffiſi viribus, tantò ardentiùs ſupremam illam manum imploremus, & ab una pendeamus. Jam autem adeſt Annus MDCLXXXVI. & Budam milite ac armis cingit Leopoldus Imp. XIII. Kal. Julij. acta obſidio totis animis. æquati ſolo muri. Arx potiori parte diruta. intrà, extráque Urbem vaſtata plurima. auxiliares Turcarum copiæ tertiùm cæſæ. quid multis? in oculis totius exercitûs Aſiatici, armata manu, & aſſultu, capta aliquando tandem Buda eſt IV. Non. Sep. Orbe Chriſtiano in lætitiam, & tripudia; Eccleſiâ universâ in Laudes Omnipotentis dexteræ, actionésque gra-

Sextò rurſum fruſtra obſidetur Anno 1602.

Septimò Buda nequidquam impetitur Anno 1684.

44
Obſidetur ultimò Anno 1686. 19. Junij.

& capitur 2 Sep.

gratiarum effusâ. Tot Urbis istius oppugnationibus, quarum hactenus meminimus, cæsa dicuntur, pro mœnibus Budæ, ducenta septuaginta duo Christianorum millia. ego numerum levi admodùm manu initum puto: quoniam & ephemerides illæ publicæ, ex quibus summa ista eruta est, minus plerumque recitant eorum, quæ contra nos faciunt. & militi nostro non cum Turca modò; sed tempestatibus, fame ad hæc & pestilentia sæpe numero decertandum erat præterea. Jam si barbaros quoque censuerimus, certè non pauciores ex illis desiderati: hauriuntur Danubio, excursiones profligantur, suppetiæ delentur, lue atque fame non minùs enecantur, capta urbe ad unum cæduntur. Quòd si eos pariter addiderimus, qui per occasionem aut obsidendæ, aut liberandæ istius Civitatis interfecti sunt, vel in servitutem abducti; DEUS bone! quantum sanguinis unius loci gratia profusum intuebimur. sanè ducto ritè calculo, si decies centena mortalium millia dixerimus, numero haud magno occisos comprehendemus. videlicet tanti erit orbi terrarum Buda.

Quot millia propter Budam interiêre.

Cùm autem non ignoraret Leopoldus Magnus Cæsar & Rex gloriam captæ Budæ, quam septeni jam antea Imperatores sperare, consequi nemo poterat, secundùm DEI Matrem, Divi Regis Stephani esse beneficium; quem religiosissimus Imperator sua in vota flexerat, ducémque expeditionis totius, ac Patronum obsidionis constituerat; quò tam eximium favorem, publicum, æternúmque redderet; ac obsequijs gratiam veneraretur: egit apud Innocentium XI. summis precibus, ut magnum illum Budæ vindicem, quem hactenus Ungaria duntaxat, & subdita Ungariæ regna pro Aris & Templis colebant; deinceps gentibus universis populísque honore omni prosequendum imperaret. non potuit non subscribere æquissimis Filij postulatis Pater maximus, præ-

45. *Religio Leopoldi Cæs.*

sertim cùm illum hostem de capite Ungariæ proturbatum acciperet, adversum quem magnis & ipse olim animis regnum illud tutabatur. Itaque jubet Stephanum Ungarorum Regem sanctissimum in communes toti Ecclesiæ codices referri; tam illos quorum usus in conficienda re Divina; quàm qui Horarias complectuntur preces. Dies honoris perpetui ille idem est, qui captæ Budæ. Ecce autem dum Pontifex Innocentius, dum Imperator Leopoldus toti in eo sunt, ut quàm celeberrimum possint, nomen Stephani Regis efficiant apud genus humanum; nihil tale cogitantes (compertum id habeo de Principum illorum modestia) suam pariter famam gloriosæ æternitati consecrârunt: neque enim Stephanum legere poterimus, quin simul oculum subeant Innocentius & Leopoldus. usque adeò certissima honoris consequendi ratio est, honor Divis delatus.

Vide Breviarium Rom. 2. Septem.

46. *Buda vetus.* Hactenus de Buda monti insidente locuti sumus; quæ aliàs Castrum Budense, subinde novus mons Pesthiensis, aut Arx Pesthiensis nuncupata est. Nomen obtinuit à Buda Urbe regia, Meridiem versùs in vicino sita; unde hæc *vetus* deinceps audijt, quò à *nova* illa differret. Buda, de qua in præsenti sermo, unde porrò appellationem habet, nondum extra controversiam est. mitto variorum opiniones; quippe plerísque omnibus notas, & obvijs libellis decantatas. Ceterùm prima fuit Ungaricarum Urbium jam indè à temporibus Divi Stephani, & multorum Regum sedes ad usque ferè tempora Caroli I. hinc non est ambigere: quæsitissimis illam floruisse ædificijs, abundâsse opibus, ultráque omnem Ungariam incolis claruisse. Rex Ung. Primus insigne in illa Divis Petro & Paulo, Templum statuit An. MXXII. addidit Sacerdotium pingve suo cum Præposito. Geysa I. erexit magnificam Divinæ Virgini Basilicam An. MLXXVI. ornavit, auxítque duorum Regum beneficia sanctissimus Ladislaus. Geysa II. fanum aliud sum-

sumtuosissimum Virgini Matri construxit An, MCLI. Ludovicus I. Collegio illi sacerdotum aliud illustrius exædificavit sacrarium; aliud item Sororibus Sanctæ Claræ cum grandi Monasterio MCCCLV. admissa quoque Elisabetha Matre in collati muneris Societatem. Sigismundus Imp. Celeberrimam intulit Urbi Academiam An. MCCCLXXXIX. quam Bonifacius Pontifex ratam habuit; Matthias Corvinus gratijs immensum quantum ditavit; Viris sapientissimis complevit; omníque animi significatione, pro suo in litteras affectu, prosecutus est. multa alia ab alijs collata Urbi nobilissimæ sunt decora; quorum hodie nè vestigia quidem vivunt. præcipitavit illam barbara rabies; nec, præter nomen unum, quidquam reliqui fecit. verbo: pagus visitur, ubi Ungaræ splendebant Athenæ.

Juverit isthìc paucis adnectere: gravissimos in errores, plures scriptorum prolapsos esse occasione duplicis Budæ. dum enim illam, quæ hodie Urbs regia stat, errore nominis decepti, eandem esse putant, de qua modò narravimus, & veterem nominamus; quidquid huic à Bonfinio, aut ab antiquiore quopiam attribuitur, universum id Budæ novæ conferre non dubitant. haud satìs animadvertentes: uno duntaxat Budæ vocabulo appellatam illam, dum nova hæc surrexisset. Indè passim legere est, quando moderna Buda exscribitur: Fundatam in ea Basilicam à Geysa ac Ladislao Sancto; Duos de quadraginta Reges incolas habuisse; & plura id genus. cùm tamen ætate duorum illorum Regum vix casa pastorum montem Budensem presserit; & ante Ludovici I. tempora Regi habitata sit nemini. sed brevibus monuisse suffecerit, nè idem & alios occupet error, regnúmque tandem constituat plurium firmata sententijs ignorantia. nunc Urbes reliquas Pilisiensis Provinciæ dicamus. 47. *Errores de Buda.*

48. Loca cetera. Visſegradum ſecundas à Buda obtinet. Nomen ei à ſclavis inditum. ſi bene reddas, altam arcem latinis facit, Fuit Sedes Regia Caroli I. ubi ternos ſimul Reges hoſpitio accepit. Urbs ſummis & privilegijs, & ornamentis ſplendebat: quippe non minus ad hanc, quàm Budam, multorum Regum induſtria, ornandam concurrit. Palatium ſanè regium trecentas ultra & quinquaginta numerabat ædes, ab arte admirabiles, incomparabiles à precio. Regiam hanc, Arx Aquatica, quippe Danubio proxima, Urbi jungebat. murus ex Arce iſta inferiore per abrupta montium Cœlum versùs productus ſuperiori ſeſe nectebat Arci, adeò eminenti in ſaxo conſtructæ; ut nisì aquas natura loco invidiſſet, nullâ operâ, hoſtium conatibus, victrix ſemper, impoſuiſſet. ſed nempe nihil ita perfectione abſolutum eſt, quod ope non egeat alterius: ſive quia magnopere id ad conſervandam humanæ ſocietatis neceſſitudinem confert; ſive quia mortalium rerum tumori cavet; ſive demum quia parte omni beatum eſſe, felicitati duntaxat ſempiternæ reſervavit DEUS. Arx, de qua loquimur, celebris eſt à captivitate Salamonis Regis; ab obitu Caroli I. cui locus primis in delicijs placebat à tenui, puróque Cœlo; ad ultimum à Sacro illo, ac prodigijs clariſſimo Regni Ungariæ Diademate, quod diu multúmque Visſegradienſi in Arce diverſabatur; quam à Pannonibus initio conditam haud obſcurè ipſa denominatio oſtendit: námque Hunnus ſclavum nunquam vocabulum arci ſuæ impoſuiſſet. ſed utcunque res ſe habeat; modò, nisì lapides ſuperſunt. pari fato concidêre arces, & oppida plurima, bellorum diuturnitate attrita. Arx una Sambekienſis dicitur habitari. Ordo hìc exigeret, Inſulas pariter Danubij cenſere ad iſtum terræ tractum ſpectantes; ſed quia illas infrà * cum reliquis daturus ſim, nunc ad alia diverto. Supremum Piliſienſium Comitem

Vide P. Szent-Ivánnyi. Dec. 3. p. 1. in diſſ. Par.

* §. VI.

ille

ille idem agit, qui Proregem; dignitas illa muneri huic hæreditaria est.

Jam plura divino sacrata cultui loca regionis istius enumeravi, quando veterem, novámque Budam dedi. hìc reliqua censeo: Illustre Cœnobium * veteris Budæ habuit Magni Dominici magna Familia; atque tam amplum, ut An. MCCLIV totius Ordinis Comitia caperet; in quibus supremus Prædicatorum Moderator renunciatus est Umbertus Burgundus. Altero in Claustro Seraphica fervebat Religio. alij in alijs, quorum nomina cum domicilijs pariter interîêre. Amplius quid de Buda Nova in comperto habemus: Urbs hæc ipso ferè ortûs sui initio FF. Minores accepit, quibus regiam prorsus habitationem Bela IV. construxit An. MCCLXIX. addito Divi Joan. Bap. magnifico Templo, à quo vicina Urbis porta nomen traxit. terna præterea coluit isthìc loca idem Ordo. Paulinos Ludovicus I. induxit An. MCCCLXXXII. hoc est, vitæ suæ, ac imperij ultimo; Basilicam Monasterij Parenti Eremitarum Rex dicavit; quam subinde celeberrimam reddidit tumulus B. Joannis Dominici, Cardinalis prodigijs clarissimi. Sigismundus Imp. Divo Nominis sui Tutelari Præposituram erexit ad fanum Sancti, præ foribus Regiæ situm. Porrò in ipsa Arce sacellum stabat S. Joannis, dives opum, & artis; administratio sacrorum penes Collegium Sacerdotum erat, à Matthia Rege excitatum. An. millesimo quadringent. sexagesimo. aditum Templi istius, geminæ ædes, hinc, illíncque rite dispositæ efformabant; in his Corviniana illa Bibliotheca continebatur, cujus incomparabili ruinæ diu, multúmque indolebunt litteræ. Addamus nunc & Concilium Budense * An. MCCLXXIX. celebratum. aderat Clerus ex universa Ungaria; & Religiosorum pars nobilior. Præsedit comitijs Philippus Firmanus Episcopus, Sedis Apostolicæ Legatus à Nicolao III. Româ missus.

49. Loca Sacra.

* ad S. Nicolaum.

* Vide Alex. Natalem Tom 7. cap. 6. Ar. 35.

Conditi sunt novem ultra sexaginta Canones, prudentiâ juxtà ac sanctimoniâ pleniſſimi. Jam quæ extra Urbem erant, dicamus: bini feruntur Conventus Equites Rhodios aluiſſe; alij in ſuburbanis ad Spiritum Sanctum degebant, alij propius thermas ſuperiores ad odæum SS. Trinitatis. ubi fortaſſe Felhevizienſis quoque Præpoſitus ſuis cum Sacerdotibus rem divinam faciebat; nam altera Præpoſitura Eccleſiæ novæ ante Caſtrum Budenſe ſtabat. Duo adhoc Cænobia ſuburbium habuit; & altero quidem Carmelitas, quos pes tectus ab alijs diſtinguit; alterius incolæ ſunt in obſcuro. Atque illi An. MCCCLXXIII. primùm in Ungariam venerunt, Budenſíque ſub caſtro, ubi hodie Aquatica Civitas eſt, ſtationem fixerunt. Uno ſupra Budam lapide, perquam amœno in loco, ampliſſimam, frequentiſſimámque domum Paulini implebant. fundamenta ædibus Laurentius * dedit, qui quartus à B. Euſebio Provinciæ moderabatur; incrementa Carolus I. multíque proceres contulêre; faſtigium Ludovici I. pietas impoſuit. atque hoc illud S. Laurentij nobile clauſtrum eſt; quod principe ſemper loco Eremiticus Ordo habuit, in quo Ordinis univerſi Caput morabatur, ubi denique primus Eremi cultor, Pater, & Fundator, Paulus Sanctiſſimus, quieſcebat. etenim magnas illas Reliquias, cùm pace compoſita à Rep. Veneta Ludovicus accepiſſet, * Laurentiano intulit Templo; æternum regij animi adverſus candidiſſimam, ſibíque chariſſimam Familiam, tanto in munere, ſtatuens monumentum. Altera eorundem Religioſorum domus ad Albam Mariam viſebatur. eſt locus haud longè vetere Buda, ea parte, qua Sicambriæ rudera oſtenduntur, propius montes, plano tamen in campo; ubi Ædes DEI Genitrici, prima omnium in Ungaria, à Carolo M. * fertur excitata An. octingenteſimo tertio. hanc ad Matthiæ uſque Corvini tempora Sacerdotes quidam procurabant;

* An. M. CCCI.

* An. MC. CCLXXXI.

* Inchofer ad An. 803.

bant; verùm cùm desiderio populi minus respondèrent, immo vitâ haud satis castigata (queruntur istud litteræ regiæ ad Sixtum IV. * exaratæ) publicæ pietati nocumentum gravissimum adferrent; volente Rege, jubente Pontifice, administratione moti sunt & beneficio; Sanctioribus in locum succedentibus ministris. hactenus de vicinioribus Budæ monasterijs. hìc territorio Urbis Regiæ egredimur; ante tamen adjicimus montem S. Gerardi ad meridiem Budensibus occurrentem: conspiciuntur in illo humiles quædam parietinæ, & congesti temerè lapidum acervi. eccujusnam ædificij hæ reliquiæ? multi, quòd in obscura re fieri amat, multa. puto ego: initio isthìc exædificatam fuisse Divo Antistiti modò nominato Basilicam; ex eo quippe saxo actum in præceps causâ religionis ferunt An. millesimo quadragesimo septimo. atque ob id habitum jam indè summo in honore apud omnes verticem illum, procul dubio est. & fortasse Andreas ipse Rex, quò admissum indulgentiâ scelus expiaret, ædem id loci Sancto posuerit; quæ subinde, constitutâ in Regum Sedem Budâ, in suburbijs floruit: * nec enim arduum dictu est, in montem usque illum protensa fuisse externa ædificia, excrescente nimiùm Urbis fortuna, & Principis in habitationem populo undique confluente. Immo hoc ipsum ego Templum fuisse arbitror, in quo memorabile sanè divinæ ultionis exemplum in gentem Corogianam ad ultimum ex ipsis perseverabat. nam cùm sub memorato Andrea religionem ejurâssent, cædémque ij Gerardo intulissent; nemo posterorum sacram hanc Ædem sponte, aut secus subivit, quin soluta repente alvo, fedùm contaminaretur. cujus quidem rei experimentum sæpe à Ludovico II. Rege Juvene, non sinè risu, factum in Petro Corogìo ephœbo suo, scribit Istvanffius. cum quo etiam Petro nobilis vetúsque Familia ad Mohaczium vixit. sed de his satis. Visslegradum Abbatia Benedicti-

* An. 1479. Fer. 2. ante festum Nat. S. Joann. Bap.

* Bulla Pij II. An. 1464 facit mentionem Templi S. Ger. in Suburb.

norum ad S. Andream exornabat; ubi An. milleſ. trecent. quadrageſ. ſecundo ſuum Ordo Concilium (Capitulum vocant) celebravit. Hìc pariter dicuntur habitâſſe Paulini ad eundem Divum Apoſtolum; opinor, in locum priorum adductos. Franciſcanos Sigismundus Imp. Urbi intulit. Piliſienſis pariter regionis cenſebatur Telkienſis Abbatia Benedictina. Duæ aliæ Ciſtercienſes: Erchienſis * altera S. Nicolai, à Palatino Regni Thoma An. MCCLX. fundata; quæ deinde An. milleſ. quadringenteſ. nonageſ. nono juris Auguſtiniani facta eſt. altera de Piliſio B. V. erecta An. MCCCLXXXIV. exiſtimo autem celebriora olim fuiſſe oppida, quæ modò loca nominavi.

* *Hanc alij in Albenſi Com. ponunt.*

50. *Lingua.* Potiſſima terris iſtis Germana auditur lingua, & Raſciana; Ungara rarior. Romanæ obaudiunt Eccleſiæ plerique; alij Græcum ſequuntur ritum. Si qui Catholicis adverſarij, ferè penes ſervitia reſident.

51. *Strigonienſis Comitatus.* Strigonienſis ordine conſequitur plaga. dicta eſt à Strigonio Urbe regia. hæc, ut communis jam opinio fert, ab Iſtro & Grano; qui fluvij ibidem commiſcentur.

Arx Strigonienſis. Arx Strigonienſis in rupem ad ipſum Danubium altius enatam aſſurgit, naturæ non magìs ingenio munita, quàm artis. Regiam fuiſſe Geyſæ Ducis Chriſtiani indè colligere eſt: quòd hac in Arce S. Stephanus ejusdem Filius & lucem primam aſpexerit, & fonte ſalutis æternæ fuerit initiatus. cui ille beneficio ut gratiam referret, Archi-Epiſcopo locum dedit, atque adeo DEI Ter Opt. Max. honoribus conſecravit. Porrò Arx, occidentem versùs, Danubium deſpicit; ad meridiem felicioribus Ungariæ temporibus, occurrebant magnificæ Canonicorum ædes, ac Civitas ponè ampliſſima; partes aliæ vinetis, campísque oculum explebant. ut adeò ad cetera loci ornamenta, is quoque acceſſerit ſitus, quo ſalubriorem pauci, amœniorem optare poterat nemo.

Natale ſolum S. Stephani.

Quo-

Quoniam autem Strigonienſium Præſulum ſedes, totâ Ungariâ, Princeps omnium ſit; ſupremáque polleat authoritate in ijs, quæ rem Divinam ſpectant; jure quodam à nobis exigit debita tantæ Majeſtati reverentia: ut ſi uſpiam, iſthìc certè haud indiligenter perſequamur ea, quæ memoriam poſterorum merentur, & venerationem. Atque initio, quis Archi-Epiſcopij Fundator fuerit; qui deinde inſigniores Patroni. Tum, quæ dignitatis illius decora, & tituli; ac à quibus. Mox, quot hactenus prima in Inſula floruerunt. Unde etiam illi domo. Qui Romanâ fulgentes purpurâ. Quâ doctrinâ; vitæ inſuper ſanctimoniâ. ad extremum, quid ab illis in publicam Patriæ utilitatem, communéque Orbis Chriſtiani commodum profluxerit; brevì, & quantum compendij ratio ſinit, enarremus.

52. *Archi-Epiſcopatus Strigonienſis*

Et quidem quod Fundatorem attinet, extra controverſiam eſt: erectum â primo, illóque Ungarorum Divo Rege Archi-Epiſcopatum Strigonienſem cultui magnæ Ungarorum Dominæ An. M. cui etiam Cathedralem conſecravit Baſilicam, in ipſa arce, ingenti ſumptu adornatam. Bela ſubinde Quartus afflictas per Tartaros Antiſtitis fortunas, Urbémque ipſam priſtino reſtituit honori, ac opibus; murísque ut circumdaretur, adjumento venit An. circ. MCCLV. Andreas III. Roſnaviam, nobile oppidum, aliáque beneficia contulit An. MCCXCI. mitto Reges alios, Regúmque in Sedem hanc favorem. noviſſimum addo: Abbatia S. Crucis Strigonienſium Præſuli, ab Auſtriacis Regibus eſt donata. Subnecto Principibus Sacerdotes; & eorum ſuam in Metropolim beneficia do: Arcem, opésque quas ab Authore acceperant cumulatiſſimas, ſinguli quidem, ſed in primis excoluerunt: Martirius (a) qui Templum eleganti Virginis DEIparæ Arâ locupletavit. Joannes I. (b) qui de ſuo villas, multáque prædia in uſum Canonicorum comparavit. Matthias, (c) quí

53. *Fundator & Patroni Reges.*

Archi-Epiſcopi ipſi.

(a) *Rexit ab An.* 1151 *ad* 1161.
(b) *Ab An.* 1208. *ad* 1223.
(c) *Ab An.* 1239. *ad* 1241.

Civitatem alteram ad radices montis, cui Aula incubat, adjecit. Stephanus (d) de Vancſa, cujus induſtria cladem Tartarorum abolevit, bona fortunæ reſtituit, veterem ſacris formam adduxit. Jam autem Lodomerius (e) auxit Palatia, omníque apparatu inſtruxit. Cſanadinus (f) collapſam propemodum S. Georgij ædem, novam, eámque cultiſſimam effecit: Collegium adhæc Canonicorum numero præſtantiſſimorum virorum illuſtravit, bonísque ditavit. Joannes Kaniſaj (g) conferente operas Sigismundo Imp. Præpoſituram nomini Divi Stephani, ſenósque Canonicos fundavit. Adjecit inſuper ſacellum lateri Baſilicæ Mariano Cultui dedicatum. Dionyſius Szechi (h) grandem illam, Stephani opus, Baſilicam magnis impenſis reparavit; ablatáque pluriũ ſeculorum vetuſtate, magnificentiorem reddidit. Succeſſor Joannes Vitezi (i) Arcem picturis, variísque artificijs ad uſque prodigiũ decoravit. Thomas Bakacz (k) Sacellum aliud à Kaniſiano illo Virgini Matri poſuit & pulcherrimum, & ditiſſimum; hìc paries omnis marmor eſt; concameratio tota aurum ſolidum cupro illitum. atque unum iſtud magnam partem, cetera inter rudera, etiamnum integrum exſtat. Longo poſt intervallo Georgius Lippai (l) Ujvarinum, Arcem Archiepiſcopalem à Paulo Vardai fundatam, munivit; quam ampliùs Leopoldus (m) Kollonicz tutam reddidit. Georgius (n) Széchéni Ordinem Seraphicum Urbe regia; Societatem Jesu * Archi-Epiſcopali Civitate donavit. Ubi etiam Chriſtianus Auguſtus (o) Templum S. Stephani Proto-Martyris laxavit, floríque repoſuit.

(d) *Ab An.* 1243. *ad* 1252.
(e) *Ab An.* 1279. *ad* 1299.
(f) *Ab An.* 1330. *ad* 1350.
(g) *Ab An.* 1388. *ad* 1418.
(h) *Ab An.* 1439. *ad* 1465.
(i) *Ab An.* 1466. *ad* 1472.
(k) *Ab An.* 1497. *ad* 1521.
(l) *Ab An.* 1643. *ad* 1665.
(m) *Ab An.* 1695. *ad* 1707.
(n) *Ab An.* 1685. *ad* 1695.
* *An. M. DCLXXXVII.*
(o) *Rexit ab An.* 1707. *ad* 1725.

Utilitas Bibliothecarum.

Bibliothecam autem uſque ad ætatem Pauli Vardai, qui ultimus Strigonij reſedit, omnes omni ſtudio curârunt; eámque nobiliſſimam, longéque nominatiſſimam conſervare, promoveréque elaborârunt. bene gnari: Veram Chriſti Eccleſiam Virtute niti, & Doctrina; quarum ſi alterutram in Præſule deſideres,

deres, non erit: unde illi aut vires sufficias ad perferendos labores maximos; aut authoritatem arcessas ad obeundum cum dignitate munus perneceſſariam. juvant autem ad utrumque libri. & sapientia quidem istis profluit è fontibus. sed & probitatis pars major: edicunt illi, quid rectè à Præsule fiat, quid secus. admonent officij sinè ambage. non erubescunt vitia ob oculos ponere, virtutem palàm efferre; in illa acerbius invehi, hanc intentius commendare. ij, quorum interest liberius, ubi res postulat, loqui; ferè ex spe, metúque laborant. ipsa sanè muneris reverentia, nescio, quod cæcum oculis velum, quos mutos ori frænos immittit. superiores istiuscemodi morbis libri sunt: tanto fidentius veritatem enarrant, quanto securiores sunt sui, odiorum negligentiores. adeò cui sincerum, decorúmque cordi, sunt pariter libri. osor horum, illa similiter insuper habet.

54. *Privilegia & Tituli.*

Principem totâ Ungariâ Sacerdotem Strigoniensem ab ipso Conditore Rege, ceterísque deinceps Monarchis, ac summis Pontificibus semper habitum, in comperto est. Quæ dignitas ut subinde clarior evaderet, Belâ III. regnum moderante, Gregorius Papa VIII. Jobo (p) Archi-Episcopo Strig. ejúsq; Successoribus, Reges inungendi, ac diademate ornandi, jus indulsit An. MCLXXXVII. quod singulare, ac excellens munus, integrum in hanc diem penes Archi-Episcopos Strig. mansit. Sigismundus autem Rex, idémque Imp. Joannem Kanisaium jam suprà laudatum Metropoliten, primum omnium *Summi Cancellarij Regni Ungariæ* titulo honestavit; quod pariter in posteros transivit ab Ann. MCCCLXXXXIII. Jam pridem ante, *Primates* sese, & pro *Legatis natis* ferebant, * Antistites isti. sed plures adversabantur, eorum præcipuè Pontifices Regnorum, quæ Imperio Ungarorum auscultabant. terminavit litem, petente Dionysio Szecsio, agente Ladislao Posthumo, Nicolaus V. summus sacrorum Rector Ann.

(p) *Rexit ab An.* 1184. *ad* 1203. Coronat Reges.

Summus Cancellarius.

* *Inchoffer ad An.* 1001. *ait: dignitatem collatam primò Stephano le Vancsa Car. Ungaro.*

milleſ. quadringent. quinquageſimo ſecundo. * & Strigonienſem Archi-Epiſcopum, alterum à Rege, atque adeo *Primatem Regni* iterum dixit; ratam denique habuit *Legati Nati* denominationem; & jure quidem tam amplo: ut non modò Ungaros Præſules omnes, verùm ſubditarum quoque Provinciarum, immo & aliquando ſubdendarum; illi uni parere juſſit. ei itidem ex Præſulibus uni SS. Crucis in toto Ungarorum Imperio præferendæ poteſtatem ultrò conceſſit. ad illum demum ipſum, tanquam communem omnium Patrem, controverſias quaſque, deferri poſſe indulſit. Carolus ad ultimum III. Rex noſter potentiſſimus, Sextus hoc Nomine Imp. Auguſtiſſimus, quò primam Apoſtolici ſui Regni Sedem Religionis, cultu affectúque majore proſequeretur, Archi-Epiſcopos Strigonienſes Sac. Rom. Imp. Principes eſſe voluit, ac juſſit An. MDCCXII.

* *Emanavit Bulla An. 1452. decimo Kal. Maij. Pontif. An. ſexto*

Primas, & Legatus natus Imperij Ungarici.

Sacri Rom. Imperij Princeps

Novem ac viginti ultra ſeptingentos numerantur Anni à condito, fundatóque Strigonienſium Archi-Epiſcopatu. tanto, támque diffuſo ætatum ſpatio, non, nisì ſexaginta reperiuntur Metropolitæ; quorum cenſum Dominicus I. (q) inchoat, Emericus Eſterhazius terminat. neque iſtud cuipiam mirum videatur: nam præterquam quòd nonnulli eorum diutiùs vitam protraxerint; id etiam accedit, quòd quadraginta ipſos & tres Annos, vacua Præſule, Infula illa luxerit. Atque primum quod attinet, Sebaſtianus (r) alter à Dominico memorato, quinis ſupra tricenos; Neæmias (s) qui quartum in ſerie occupat locum, tricenis annis, gubernârunt. Job vicenos explevit; uno ſuperavit Lodomerius; uno item Cſanadinus. Kaniſaius uno & triginta præfuit; quaternis minus Dionyſius. Bakaczius quattuor & viginti æquavit; Vardajus (t) totidem. Pazmannus (u) duos & viginti regiminis Annos cenſuit; tres & viginti Lippaius. Alij ſupra denos, ſeptimum, octavum, nonúmque viderunt.

SS. Archi-Epiſcoporum numerus.

(q) *Rexit à 1000. ad 1002.*

Longius quorundam regimen.

(r) *Ab An. 1002. ad 1036.*

(s) *Ab An. 1048. ad 1077.*

(t) *Ab An. 1526. ad 1549.*

(u) *Ab An. 1616. ad 1637.*

Vaca-

Vacatio porrò, quâ binis carebant annis Præſide Strigonienſes, incidit prima in An. milleſ. quadrageſ. ſextum & ſequentem; altera, unius duntaxat anni, in milleſ. ducenteſ. quartum; mox tertia, par huic, in milleſ. ducenteſ. quadrag. ſecundum. Longior fuit, ſenos utpote complexa annos, quæ cepit milleſ. ducent. ſeptuag. tertio. quinta vix anni ſpatium emenſa, duravit milleſ. trecent. octuag. ſeptimo. ſimiliter ſeptima Anni milleſ. quadring. octuag. ſexti. at ſexta, quæ totidem præceſſit annos, tribus admodum finita eſt; uno octava milleſ. quingent. quinquag. ſecundo. nona omnium luctuoſiſſima ipſos viginti duos continet, ducto initio ab An. milleſ. quingent. ſeptuag. quarto. Decima, eáque ſuprema quinquennium comprehendit, quod MDCII. inchoavit. *Vacat ſedes.*

Atque ex iſto Archi-Epiſcoporum numero haud omnino copioſo, plures erant majorum ceris clariſſimi, genere undique nobiliſſimi. Lucas (x) Banffi, Stephanus de Vancſa, Cſanadinus de Telegd, Nicolaus (y) de Monoslo, Joannes de Kaniſa, Georgius de (a) Palocz, Dionyſius de Széch, Paulus de Varda, Franciſcus (e) Forgách, Petrus Pazmány, Georgius Lippai, Leopoldus Kollonich, Emericus Eſterházi è vetuſtiſſimis, primísque in Ungaria Familijs ortum ducunt. Joannes I. Meraniæ; Boleslaus (i) Toſtenſium; Hippolytus (o) Ferrariæ, fuêre Duces. Joannes VI. (u) Progenitorem, Neapolitanorum; Avum, Abavúmque Reges habuit Aragonum. Auguſtus Dux Saxoniæ, Regum ſanguis eſt, & Imperatorum. At enim haud magni fit à magnis naſci, niſi fortunam virtute illuſtres, tantísque dignum natalibus te vitâ exhibeas. ubi iſtud præſtiteris, tum enim verò ſeculorum memoriam, orbis terrarum emiſti commendationem. quippe nihil admirabilius, quàm virtus magna in magno ſanguine. 56. *Genus nonnullorum.*

(x) *Rexit ab An. 1162. ad 1179.*
(y) *Ab An. 1351. ad 1365.*
(a) *Ab An. 1430. ad 1438.*
(e) *Ab An. 1607. ad 1615.*
(i) *Ab An. 1320. ad 1329.*
(o) *Ab An. 1487. ad 1496.*
(u) *Ab An. 1480. ad 1485.*

57. Cardinales Archi-Episcopi.

Id, qua ratione Archi-Episcopi Strigonienses summis exorti cunis palam omnibus exhibuerunt, mox videbimus, ubi tamen antè eorum meminerimus, quos primo Ecclesia loco habuit ; quos Urbs Purpurâ induit; quos Pontifices Romani honoribus excoluêre. ut vel indè advertere detur: quanti sedem illam Viri impleverunt, quos Roma æqua virtutum arbitra tanti fecit.

Stephanus Vancsaius ordinem ducit; ivit in Italiam Belæ IV. Regis causâ. prodigio fuit Romæ, Patribúsque Vaticanis Ungari Præsulis sapientia ; magìs virtus. ergo Senatus Cardinalium agit apud Innocentium IV. Virúmque sibi adlegi exposcit. annuit Sacrorum Præses; & Stephanum, nihil tale cogitantem, Purpuratum dicit ; Strigoniensíque avulsum Infula, Prænestinâ coronat An. MCCLII. feliciſſimo sanè Ungaris omine: quibus ut Rex Primus Stephanus, ita Cardinalis ejusdem nominis obtigit Primus ; suo uterque in nomine magnus, secuturæ uterque felicitatis quà Civilis, quà Ecclesiasticæ nuncius.

Rexit (z) Ab An. 1379. ad 1386.

Demetriùs (z) alter est, quem honor Purpuræ excepit. nec ab isto aut Ludovici I. gratia stetit, aut peroravit ambitio. Viri merita, vitáque placuit; eóque Urbanum V. impulit, ostrum ut eidem conferret, & titulo SS. Quattuor Coronatorum insigniret.

Dionysius Szécsius, clarum in Ungaria nomen, Nicolai Ducis de Limpach, Dalmatiæ Bani, tum Judicis Curiæ Regiæ, ac demum Pro-Regis filius, ab Eugenio IV. An. Milles. quadringent. quadragesimo. VI. Idus Jan. in Purpuratis census est. Sunt, qui Reginæ Elisabethæ Alberti Regis Viduæ beneficium tribuant, sed incertum istud ; illud non item: tanta virum fuisse eruditione ac integritate, ut non tam accepisse à Pontificio illo Galero decus, quam novum

novum ei tribuisse, sit æstimatus. dictus autem Cardinalis est S. Cyriaci in Thermis.

Joannes post hos Vitezius à Paulo II. nominatus est Senator Ecclesiæ. disceptant de Anno: alij quintum Pontificis, extremum alij ponunt. quidquid sit, dedit illud Roma precibus Matthiæ Corvini Regis, cujus pueritiam Joannes virtute excoluit, & litteris. ferunt hominem humili genere, tenuíque fortuna natum. at nullum indè dedecus: quandoquidem præstat magnum fieri, quàm oriri.

Joannes alter de Aragonia à Sixto IV. Purpuratorum Collegio adscriptus millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo. ac subinde titulo S. Adriani ornatus Archi-Episcopatũ inijt millesimo quadringentesimo octuagesimo. quem sex admodũ annos summa fide, ac vigilantia gubernavit.

Hippolytus mox Estensis Joannem secutus est. hic propemodum ætate puer Insulam illam grandem accepit favente Matthia Corvino. Creatus deinde Cardinalis est ab Alexandro VI. millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio. & Diaconus S. Luciæ in Silice, renuntiatus. Vir deinceps tota Italia clarissimus; manúque non minus, ac consilio potens. cessit ultro Archi-Episcopatum Thomæ Bakacsio, quoniam id ea tempora exigebant, & inclinatus rerum status.

Porrò Thomas & ipse ab eodem summo Pontifice MD. Purpuratorum Senatui adnumeratur; titulóque S. Martini in montibus condecoratur. egêre pro dignitate hac Uladislaus II. & Senatus Venetus; sed impetrârunt merita Viri. quæ etiam, ut post decennium Patriarcha Constantinopolis diceretur, effecerunt. atque hic ille Thomas Cardinalis est, qui vitâ functo Julio II. duodecim Patrum suffragia pro summo Orbis terrarum Sacerdotio meruit; quem Leo X. Legatum à latere creavit; quem Viennæ agentem Maximilianus Imp. ipse per sese invisit.

Georgio Martinusio Ferdinandus I. ob navatam in Dacia operam, Archi-Episcopatum Strigoniensem

MDL. donaverat; quem etiam vertente anno Julius III. Romano Ostro insignivit; quod tamen Strigonium nunquam adoravit: quippe brevi in Transilvania, suo purpuratus sanguine, per indignissimam cædem sublatus est. author parricidij, Joannes Castaldus; Sicarij, Hispanus miles & Italus; causa etiamnum in obscuro: præbuisse illam volunt nonnulli, propensum in Turcam Georgij animum; malunt alij, ingentem Antistitis thesaurum, cui inhiâsse ferebantur: utcunque res ista se habet; experientiâ certè seculorum docemur: nunquam bene cecidisse consecratis DEO hominibus, nimiam profanorum diligentiam ac tractationem. quis enim facilè eorum nomina recitaverit, qui artium Aulicarum plus æquo studiosi Præsules, aut gratiâ Principum deciderunt; aut exilio mulctati sunt; aut etiam privati vita; futuri semper felices, si suo se novissent continere officio. quòd si quispiam illorum, seu affectu, seu demum fraude, tantum potuit: honorum ut tumulo inferret senium, constanti usus magnorum benevolentiâ; tamen dedit à fatis pœnas, cui parcitum vivo: ivit per ora procacis vulgi acerbior cachinnus; & communis foro vapulavit fabula toties repetita. quid? illatus quoque in Historiam est; grande magnorum Virorum tormentum, aut præmium. innotuit posteris infamiâ, eorum etiam calumnijs prosciissus, quibus fraudi nunquam fuit. Scilicet tanti est, in negotia à munere, vitáque abhorrentia, semet immittere. hæc occasione Cardinalis Martinusij.

Franciscus Forgach Strigoniensem Tyaram à Rudolpho Imp. Vaticanum Pileum à Paulo V. accepit An. MDCVII. vir eminentissimi omnino animi; & adversùs gratiam, ac odia perinde obarmati. quem apud nec minæ profecêre, nec pollicitationes, ut initis contra Rudolphum consilijs subscriberet. meruit tam nobilis Franciscì constantia haud degenerem successorem.

Fuit

Fuit is Petrus Pazmannus è Societate Jesu, homo litterarum omnium, omnium virtutum. universa illum Ungaria concordi Ordinum voto flagitavit; Mathias Imp. & Rex expetijt; Paulus V. Sacramenti religione absolvit; Archi-Episcopum nominavit; Urbanus VIII. etiam Cardinalem An. MDCXXIX. Providentia DEI in hæc tempora Petrum servavit; qui nisi Ungariæ obtigisset, Reges se hodie errores peregrini ferrent. exegit Regno Tyrannidem, dum potiorem Nobilitatis partem hæresi eripuit; dum purioris doctrinæ scholas in Ungaria stabilivit; dum Ecclesiam Christi quà verbo, quà editis libris, quà consilio, quà ope, haud unquam interrupta diligentia, ad mortem usque, verè magnus Ecclesiæ Præsul, propugnavit. Accessit Romam; titulum S. Hieronymi Illyricorum reportavit; perenni sui desiderio in urbe relicto, & famâ, à magnificentiæ, ac sapientiæ prodigijs, linguis gentium, & Historijs commendata.

Petro, quintum in Archi-Episcopatu successorem, Leopoldum Kolonicsium, subnecto; quem dum nominavi, Antistitem dixi, in quo sinceriſſimus animi candor, intaminata vitæ integritas, ardentissimus propagandæ Fidei Catholicæ ardor, indefessum communis boni studium, profusa in egenos liberalitas, inconcussa in adversis fortitudo, eodem prorsus jure dominabantur. tam nobile virtutum domicilium admiratione Vienna, præmio prosecuta est Roma. Decretus Leopoldo Purpuræ honor, & titulus qui olim Pazmanno. fuit id temporis Episcopus Jaurinensis, cum Vaticanis Patribus adderetur Ann. MDCLXXXVI. novennio evoluto Metropolitanam evectus in sedem, pulcherrima accessione Strigonienſium Cardinalium numerum illustravit.

Purpuratorum claudit agmen Christianus Augustus, à Clemente XI. sponte ac ultro, una duntaxat virtute partes Ducis apud Pontificem promovente, inter Patres relatus.

58. Doctrinâ, & Vitæ Sanctimoniâ insignes.

Geminis veluti columnis, omnis Cleri dignitas innititur: Doctrinæ scilicet, & vitæ sanctimoniæ. illa viam populum erudit, hæc monstrat; suadet illa hæc persuadet; verbo: trahit illa, hæc attrahit. junctæ simul, timori Orbi sunt & amori; in primis autem venerationi, & admirationi. Atque hæc est Strigonienſis Cathedræ peregregia Laus: quòd hactenus, suæ providente Ungariæ DEO, nemo Præsulum eam tenuerit, qui non artibus, pariter ac integritate fuisset quàm cultissimus. sed alij alio in genere disciplinæ; alij alia in virtute clari, quemadmodum rerum, temporúmque vices exigebant: quoniam quantum sit, ætatibus singulis idoneum ad gerendas res Virum dare; ille unus noverit, cui mortalium vicissitudines sunt in comperto. Jucundum foret, sed quia longum, per omnes Strigonienſis Ecclesiæ Insulas ire, & Divûm munera censere; quapropter, missis pluribus, nonnullos adferam communi Scriptorũ, & famæ commendatione probatos; sed eos duntaxat, quos altera vita, multóque felicior commoratio habet; quippe: tanto liberior, atque adeò verior de ijs erit sermo, quanto & illi remotiores à rubore, & ego ab adulationis suspicione. Itaque sit initium à Sebastiano, Luca Banffio, ac Boleslao Viris notissimæ Sanctitatis; omnes prodigijs insignes, omnes vitæ innocentiâ magni; ac primorum in nascente Ecclesia Antistitum Dionysij, Ignatij, Cypriani vivæ, spirantésque imagines. Stephanus Vancsajus, Lodomerius, Forgachius docti æquè ac Sancti; Ambrosium, Chrysostomum, Basilium planè exscribebant; & infra virtutem habita regnantium majestate DEI causâ & veritatis, sua in discrimen vocari capita non reformidabant. eadem magnanimæ mentis fortitudine erant Kanisaius, Palochius, Zalkanus, Vardajus, & hujus successores omnes; quot nomina, tot Ungariæ Athanasij, tot Hilarij, tot Cyrilli; perpetua cum hæresi odia exercentes, ardore nunquam interrupto decertan-

tantes. Sed major his Pazmannus, alterum Strigonienſi Sedi intulit ſecum Auguſtinum ; Præſul ſolidiſſimâ ſapientiâ, & virili pietate maximus; jure malleus hæreticorum: cujus egregios fuiſſe ictus, inclinatæ nimiùm adverſariorum fortunæ in luce ponunt. Martini in alijs vixêre, Joannésque Eleëmoſynarij ; verùm ſupra modum in Kollonicſio : cui, una ditiſſimo paupertate, in lucro per dies reponebatur, ſe modò tantis ex opibus ſuperſtitem; quò rurſum deſpoliari notis à manibus poſſet. At cum quo tandem veterum Epiſcoporum in comparationem veniet Georgius Széchénius? nulla unquam ſecula talem alterum, terra dedit nulla. collegit virtutes omnes, plurésque in uno colebantur Divi: palmam , laurúmque tulit humanis , divinísque de litteris ; purus à labe animi candor ceſſit nemini ; ſuæ tenaciſſima Sanctitudinis mens ultra mortalem ſibi conſtitit. infinita alia id genus in Georgio. ſed Profuſio in communem Orbis Chriſtiani utilitatem , rémque præſertim divinam , nullo hactenus rumore accepta , nullis Hiſtorijs nunciata ; cetera propemodum præſulis decora exſtinxit , quando ora omnium & admirationem una illa eripuit. dixerim : injuriâ ſummarum virtutum ſtetiſſe liberalitatem tantam Széchénio ; qui earum ferè prodegit memoriam, dum ab incredibili benignitate munificus duntaxat audit. verùm à vulgo modò iſtud periculi ; cujus animum ea ſolùm advertunt , quæ in oculos incurrunt. Securus magnorum erit Princeps Sanctiſſimus ; qui in prolixiſſimis illis largitionibus venerantur: alieniſſimum à cupiditate opum pectus , adeoque ſolius DEI locuples. flagrantiſſimum deinde boni publici deſiderium ; nullam contrà privati commodi rationem. voluntatem ad hæc tam cœleſtium providam , quàm fluxorum pertæſam. denique viride ſimul , emeritum ſimul ſenium ; quod mirabili quodam modo , aliter , ac ætati illi uſuvenit , tantò ad liberalitatem propenſiori

fuit manu, quantò ampliùs in annis progrediebatur. hæc de virtutibus Metropolitarum, & litteratura; quæ majorem etiam ibi accipient lucem, ubi grandia eorum in Rempub. merita mox commemorabimus.

59. *Vindicatio trium Archi-Episcop.*

Necesse tamen antè habeo, trium Archi-Episcoporum famam vindicare, in quos ferè licentiùs grassantur quà lingua, quà calamo, minus æqui rerum æstimatores. Ergo Joannes IV. de impio Astrologiæ studio defertur; Majestatis postulatur præterea. Joannes V. thesaurorum furto subductorum arcessitur. Martinusius demum de ambitu, & proditione appellatur. Primus Vitezius gente Sclavus; Silesius alter Vratislavienſis, scriptoribus Alemannus; Croata postremus, Dalmata pluribus. tenemus crimen, & reos. defensionem ordiamur, & quidem à primo. Astrologiæ igitur operam navavit Vitezius. scelus incurrit haud negaverim, & illud Infulâ indignissimũ; si tamen omnis illa doctrina intra flagitium consistit. At verò si qua de Astris scientia casta fuerit, & immunis nævi; non est, cur illius alumnis dies dicatur. Quis ignorat? stellas, & sydera alia, ab artifice Omnipotentis manu, in signa esse constituta; habere insuper occultam in terras agendi vim; demum vario esse situ, ac collocatione; amore item alia ad invicem quopiam, alia quasi odio. Jam *autem è diverso horum motu, nunc amico, inimico modò: mutationes temporum futuras; immo & animorum, non necessitate, innata tamen levitate impulsorum, prædicere; quòd tandem facinus erit? præsertim cùm his, ille ipse vates, non aliam, quàm quæ hominibus solet, fidem habeat. Atque hanc ego Astrologiam in amoribus Joanni fuisse, vel indè mihi in animum induxerim: quòd adversa illa, quæ ferreo veluti atque inexorabili fato mortalia urgeri putat momenta; & saniorem in mentem pugnat, nec deinceps vacat sacrilegio. quas ego quidem maculas, ut & ho-

* *Vide fusè hac de re disputantem Nic. Caussinum lib. 3. de Domo DEI.*

& homini eruditissimo, & gravissimo Antistiti inuram, nisi egregiè impudens sim, haud unquam adducar. Altera accusationis pars in eo versatur: quòd adversùm Mathiam, partes Casimiri Poloni foverit. Ita enimverò se res habet. atqui jam regnum ferè omne à Corvino abierat; gemebat quoque populus exhaustus, atque exinanitus tributo tot annorum; nec medela malo succurrebat. igitur è re communi facturum se arbitrabatur, quod egit; certè ille non ensem extulit, non insidias struxit; lapsus tamen errore est, & illo gravissimo, atque in primis Præsulibus pudendo: sed veniam, quam â Mathia retulit, merebatur non tam nocendi, quàm alijs prospiciendi voluntate, admissum crimen. hactenus Vitezij causa.

Joannes Silesius, quòd immensam auri vim, multam quoque supellectilem asportaverit, id equidem haud omisero; plures per annos pecunias convasaverat; ingentia adhoc munera, Regis, Principúmque gratiâ potens, compilârat; accessit amplissimus quot annis ex Archi-Episcopatu census; & multa insuper alia. his ille omnibus collectis; insalutatâ Ungariâ, in Austriam profugit; plus secum infamiæ, quàm opum vehens. cur porrò hanc Joannes iste fugam arripuerit, haud scio, an ulli satis exploratum: an quia malè sibi metueret à Corvino? an quia sua ipsemet præsentia speraret effectum iri, Cæsar ut Mathiæ magis adversus esset? an quia Salisburgensem Sedem ambiret? an quia Rangonij Card. Agriensis Episcopi purpuram, multámque in Aula gratiam, æquis oculis tueri non posset? illud sanè apud ævi illius Scriptores, domesticos juxtà ac exteros vulgatissimũ erat: hominẽ amore dignitatis amplioris corruptũ, & alienæ invidum fortunæ; nihil pensi habuisse: à fide, Rege, ac regno discedere. Verùm utcunque cetera se habeant; depeculator certè Archi-Episcopalis ærarij falsò audit. at enim divitias secum tulit?

& ampliſſimas quidem; & arcanô. furto tamen vexatum Strigonium nego: neque enim Divorum fanis, aut Sacerdotum collegijs viſcatas immiſit manus; ea, quæ juris ſui, poteſtatísque erant, aſportavit. Eſt nihilominus ſua facto huic turpitudo: in re, nulla; multa in modo; nempe: quòd Præſul tantus procul arbitris, neſciente Rege, ſe, ſuúmque theſaurum ſubduxerit; quòd eundem, non in populi, curæ fideíque ſuæ commiſſi, utilitatem expenderit; denique quòd alienas in terras transvexerit. Sed hæc, utì & quæ ſuprà memoravimus, non tam animi improbitate, quàm gentilium ſuorum affectibus implicatus egit Joannes. & verò ſi cujus pectus Furiæ illæ ſemel occupârunt; ſuo mentem imperio dejiciunt, ſaniora proturbant conſilia, in præceps impellunt & devia. uſque adeò, ſi qua, hæc profectò contagio velis, remis, ijs vel maximè fugienda, qui authoritate quapiam fulgentes, populari in ſole verſantur; ſi gloriæ quidem proſpectum velint ſuæ: nam quemadmodum accenſa fax, ſi pacatum, tranquillúmque nanciſcatur Cœlum, pleno lumine vicinas dominatur in tenebras; tamdiu lucis ſecura, quoad ventorum libera. at ubi bacchari illi, cunctáque miſcere ceperunt; tum demum ſplendor omnis in diſcrimen adducitur, tantúmque diei nox igni ſurripit, quantum flammarum has, illásve in partes noti propellunt. haud aliter illuſtrium Virorum fama ſe habet: effulget illa mirum in modum, dum æquabilitas moderatorum affectuum vitam commendat; quòd ſi autem, præter jus & fas, gentis, nationísque ſuæ fuerit ſtudioſior; ſi tota illi æquitatis ratio, ſanguinis, patriæque neceſſitudine definiatur; cadit inſignibus gloriæ, multóque ampliùs ſuum in nomen invehit fuliginis, quàm in ſuos profuderit intempeſtivæ charitatis. nimirum etiam ſidera terris remotiora, clariora ſunt; obſcuriora, quæ magis accedunt.

Reſtat

Reſtat hìc Martinuſij quoque cauſam excutere; & utrum gemino illo ſcelere ſemet fedârit, an verò per invidiam labes nomini inuſta fuerit? paucis diſſerere. Cardinalis Martinuſius Vir acutiſſimo ingenio; & ad ſumma quæque, nec infelici exitu, peragenda, apto nato; Aulam Joannis Zapolij Regis colebat. Rex quantum fidei hominis tribueret, tum oſtendit, cùm moriens Tutorem Filij ac Reginæ dixit. ſed non reſpondit (ſic fertur) undique Regiæ expectationi: nam ut primùm ſummam rerum nactus eſt; Reginam, contrà ac decebat, minus pro dignitate habere, ſuam anteferre ſententiam, optimates præ ſe negligere, ſuo cuncta arbitratu tractare, & definire. hinc motus, diſſenſiones, tumultus. atque hæc illa eſt Regni libido, quæ Martinuſio objicitur. quòd ſi rem altius ſcrutemur, virtutem ſæpe reperimus, ubi vitia latere arbitratur vulgus. Certè Tutor ſagaciſſimus probè cognitum tenebat femineum ingenium, quod rarò ſeſe colum ultra & fuſum extendit. nec fugiebant illum machinæ Aulicorum, Petroviciſij præcipuè; qui collegæ impatiens, omnem movebat lapidem, quò Præſulem aula depelleret & poteſtate; ipſe deinde ſe ut Dominum Reginæ ferret, pueríque Regij. hæc inquam, & plura adverterunt Martinuſij mentem in omnia intentam; quare ut labantibus Pupilli rebus pro fide data ſuccurreret, ſua intereſſe duxit: poſthabitis quibuſcunque periculis, ea agere, quæ ex uſu forent prolis regiæ, commodóque Reipub. ceterum negare vix auſim leviores quaſdam maculas inſperſiſſe gubernio Martinuſium: veluti ſeveritatem interdum juſtò duriorem; interdum remiſſionem culpa non omnino vacantem; aliàs pertinacem in conſilijs audaciam; aliàs, quod mirêre, timidam flexibilitatem. difficilè quippe eſt: extrema inter præcipitia partem in nullam declinare; tuíque ſimul animi regnum obtinere, dum obtines aliorum. Altera, quâ nomen ho-

minis istius obscuratur, labes, proditio est. at quibus indicibus istud habetur? aut quo testimonio? Castaldus inquit: colluisse Præsulem cum Turca; Transilvaniam proposuisse venalem; militem Cæsareum morti destinâsse. grandia flagitia! antè tamen, quàm assentiar; peto exhiberi tabulas pactionis illius sacrilegæ; nullæ proferuntur. nominentur saltem internuncij; nemo in manus venit. Unde igitur proditor Martinusius? Castaldus proditorem affirmat. quis ille Castaldus tantæ authoritatis Vir, continuò ut ejus verbo deferatur, reúsque absque ullis sceleris indicijs Episcopus quispiam, & ille religiosus, proclametur? At enim Castaldus regij exercitus ductor est: atqui ille idem exteræ nationis osor, idem cædis nefandæ author, opúmque Antistitis compilator. huic igitur homini fidem habebimus? habeamus sanè: sed quam sicario, & parricidæ. Itaque, quod res est, dicamus: patrato immani scelere, Castaldus quò honesti speciem facto indueret, perduellionis notam Cardinali inurit; quasi verò superis pariter, atque hominibus specioso mendacio imponi possit. vindicavit profectò famam clarissimi Viri Cœlum, quando de singulis necis auctoribus memorabile supplicium sumpsit. hactenus defensio Archi-Episcoporum. quam ego si minùs pro dignitate adornavi, conatus certè pro ratione veri sum: quò fidem eorum elevarem, quibus antiquius nihil, quàm in vitam Præsulum, morésque grassari. quod quidem licentiùs agunt nulli, quàm rerum ignari. est nimirum seculi nostri labes: eruditionis famam, alienam per calumniam aucupari; ac tum demum sese in litterarum imperio pro rege ferre; cùm imprudenter, an impudenter, magnorum Virorum, aut ore depromuntur vitia, aut scriptis mandantur. Sed sua agi hos vertigine sinamus. nos virtutes narremus, & quæ ab Archi-Episcopis Strigonienſibus Christianam in Rempublicam beneficia, commemoremus.

Magna

Magna illa, atque adeò admiratione orbis dignissima sunt: quoniam id conjuratis quasi laboribus curavêre singuli; ut non proventus modò, sed studia, sed industriam, sed vitam, sed animas ipsas eò conferrent; quò Reipub. Ungaricæ, résque Catholicæ Ecclesiæ, aut labefactatæ, restituerentur; aut integræ, conservarentur. Vellem, pro dignitate quis beneficia, in communem mortalium salutem per Archi-Episcopos Strigonienses impensa, & fusiori persequeretur laude; mihi longiori esse non licet. Idcirco quod procul dissitis, itérque urgentibus solenne est, veluti indice quopiam, ac cursim monstravero nonnulla, non item enumeravero omnia. Dominicus I. qui familiam Pontificum horum, idem & beneficiorum ducit. Adest ad latus Stephani Regum divinissimi frequentissimus; describit oppidatim Templorum loca; jacit Cænobiorum fundamenta; Episcopia designat. Quæ deinceps notus ille bono publico Sebastiani Successoris conatus, regiam apud pietatem, majorem in modum auget, promovet, ad fastigium deducit. Grandi sanè secuturis Præsulibus documento, quibus omnino incumbit apud Dynastas diversari sæpiùs, cúmque Regibus agere; non, quò privatis commodis, titulísq; augendis occasiones captent; sed quò Divinæ gloriæ, & virtutum incrementis prospiciant. Neæmias, Quartus ordine Archi-Episcopus, felicissimo Superûm consilio, in calamitosissima Ungariæ tempora reservatus; Andream I. * bacchanti populorum furori cedentem, impiáque Hunnorum sacra revocantem, Pontificia libertate officij commonefecit; Divina authoritate terruit; ad pœnitudinem actorum, damnáque religionis sarcienda, potestate Metropolitana coëgit. Dignus enimverò, quem Ecclesia in Divis censeat; alterúmque veræ Fidei Fundatorem celebret Ungaria. Sed vix alter à decimo labitur annus, cùm iterum malum pullulare, plebs tumultuari, avitáque idola à Bela I. impuden-

60. *Boni publici studiosissimi Archi Episcopi Strigonienses.*

Publica Beneficia Dominici I.

Sebastiani.

Neæmiæ.

* *An.* 1048.

pudentiùs repoſcere. Occurrit extemplo Neæmias, periclitanti manum porrigit religioni, petitioni intercedit. Author ergo Regi eſt: thronum ut antè, capútque ſuum in diſcrimen venire ferat, quàm ſacrilegis ſubſcribat deſiderijs. Non potentiùs oravit Archi-Epiſcopus, quàm Rex egit. Dicto ocyùs ferrum expedit, perduelles cædit, tantáque in malum deſævit vi, nullo ut unquam deinceps tempore vires reſumere, minùs tale aliquid audere poſſet. Si cujus, Antiſtitis certè intereſt: labantia virtutum fata ſuſtentare; contráque plebeam, juxtà ac Potentium vim, ſincerum DEI cultum, vel objectu ipſorum laterum, propugnare. Neæmiam excipit Deſiderius; & ipſe vir ſummùs, longéque ſupra vulgum Præſulum. Magnum * atque atrox bellum exarſerat Salamonem inter, & Belæ modò nominati Filios. Cauſa belli, Ungaria. Duces armorum, Regum Liberi. Socij Salamonis Germani, & potior Ungarorum numerus; nonnulli Geyſæ partes, & Ladislai ſequebantur cum Polonis, & Pomeranis. Itaque itur in campum; acies inſtruuntur; ſignum expectatur. Cúmque jam nihil propiùs abeſt, quàm ut conſanguineis omnia parricidijs contaminentur: ecce tibi medijs ſe enſibus immittit Deſiderius, Principes alloquitur, & militem. Horam tenuit Oratio; gratia illi ab eloquio, fides à perorantis integritate. dixit; & manibus gladios, animis odia, regno bella exegit. Junctæ continuò dextris dextræ; Principes in fœdera, populus in gratiam redîêre. Depulſa agris vaſtitas, urbibus furor, Provincijs excidia. Paucis: tota ſibi, orbíque terrarum reddita eſt Ungaria. Tantum poteſt vel brevis unius Epiſcopi exhortatio, ſi vitæ ſanctimonia eam commendet! atque hæc quamvis à Deſiderio nondum Strigonienſis Eccleſiæ Præſide geſta fuerint; tamen hìc loci commemoranda duxi: quoniam haud minora egerit pro publica Regni tranquillitate ſupremam adeptus dignitatem, quàm

Deſiderij.

*An. 1064.

quàm cùm inferiorem teneret. Deinde ut nôſſet poſteritas; qui, quantíque Viri ea tempeſtate; ac quos demum per gradus, tam ſublime Sacerdotium conſequebantur. Seraphinus Antiſtitum Strigonienſium Septimus, acerbius Colomani Regis ingenium, mitiora ſemper in conſilia flectebat. Sæpe aliàs, tum præſertim Regnum interitu exemit, quando reluctanti diu Principi demum perſuaſit: tranſitum ut indulgeret Chriſtiano militi, belli molem in Aſiam transferenti: (*) niſi enim Colomanus aſſenſiſſet, exiſtimabant plerique, futurum fuiſſe; ut, quæ in Saracenos vehebatur, tempeſtas Ungariam hauriret. Nimirum quiſque meliorum Præſulum etiam bonis fortunæ populi conſulit, quorum jactura ferè ſecum trahit ſtragem animarum. Jam verò Martirius honoribus Divi Stephani Regis celebre Collegium excitavit Cruciferis Alba Regalenſium in Urbe; quo, veluti præſidio, partes illas munivit, hoſtiúmque ſecuras fecit. Æmulata eſt pietatem Antiſtitis Regina Margarita Philippi Galliarum II. Soror, Belæ III. Uxor, Emerici Mater; & plures poſt annos peramplam Collegio (*) adjecit Baſilicam. Roberti potiſſimùm induſtria eluxit in revocandis ad Catholicam Eccleſiam Cumanis; (*) quibus ille Sacerdotes dedit, Templa ſtatuit, omnémque operam impendit, quò natio illa ab erroribus vindicaretur. hunc imitati deinde Succeſſores, par ad convertendam eam gentem fovebant ſtudium ad uſque Ludovici I. tempora. Sub quo plura; ſub Bela autem IV. jam antè quadraginta mortalium millia, imperio Chriſti acceſsêre. Hoc eſt Regni Apoſtolici eſſe Archi-Epiſcopos! ſudorem Robertus; Mathias etiam ſanguinem bono publico litavit. Triennium Eccleſiæ Strigonienſi præfuit; à diſciplinæ integritate, exemplis vitæ, ſuorum charitate mirum quantum commendatus. Adeſt interea Tartarus; (*) & totam, quà latè patet Ungariam, opinione celeriùs

Seraphini

* An. 1096.

Martirij.

* An. 1193.

Roberti.

* An. 1227.

Mathiæ.

* An. 1241.

riùs inundat. Arripuêre fugam timidiores nonnulli Episcopi; sua in statione, impavidus mori, perstitit Mathias. Et bene: alteri námque, periculis se subducere, prudentiæ vertitur; probro & impietati Episcopis: quorum idem, communéque discrimen esse debet cum populo. Quod belli Imperator in exercitu, hoc sua in Ecclesia Præsul est. secedat ille ignavo correptus pavore; quantæ Superi, in milite strages! subducat se iste, quis animarum censuerit damna? tantò ampliùs digniora lacrimis, quòd arte nulla valeant reparari. Nihil horum, pro eo, ac oportebat, latuerat Mathiam. Quapropter, certus occumbere, comparata ritè ad mortem plebe, hostem operitur. Nec mora, impetit urbem omni ex parte barbarus, capit, trucidat. Non ætati parcitum, non sexui; ubi tandem ad promiscuam cædem (*) cumulus adijcitur Mathias Archi-Episcopus. Nemo unquam glorioſior pro suis stetit, quàm qui cum suis cecidit.

* *Alij malunt cæsum in prælio ad fluvium Sajó ab iisdem.*

61. Beneficia Stephani Vancsaj Card.

Stephanus Vancsajus Mathiæ Successor creatus, mestissimi illius immissi ex Tartaria naufragij reliquias collegit; quantúmque Rex ad reparandam rem Civilem, tantum ad restauranda Divina operarum ille contulit. Bella ad hæc intestina pace composuit, Filiúmque Stephanum paternam Belæ in gratiam reduxit. Adivit Urbem semel, ac iterum; quò Respubl. bene haberet, egit cum summis Pontificibus. Advertit Romam communis boni studiosissimus Vir; honorem illa dedit, (*) quem unum, optimè de orbe Christiano meritis Præsulibus, dare potest. Protectioni insuper illius commisit recèns natum Divæ Claræ ordinem; magna Stephani commendatione, & quod caput est, Virtutis Ungaræ approbatione. Sub laudato suprà Bela Rege Philippus pariter Archi-Episcopus, Regnóque, Religionique intendit; multa pro conservanda populi tranquillitate tulit; plura pro Religione. Irrepserat, nec scio

* *Vide suprà N. 57.*

Philippi.

scio quo pacto, in Ungariam hæresis *Flagellantium* Anno MCCLXIII. * quemadmodum Chronologo domestico placet, & quia rigorem vitæ præsefe-rebat, multorum animos sive externa sanctitate deceptos, sive novarum rerum cupidos, occupaverat. Ut primùm subodoratus venenum est Philippus: succurrit periclitanti plebi; nec antè laborare destitit, quàm pestem illam finibus omnibus propulsaret. Annum tenuit labor; nec longior sceleri illi in Regno commoratio. Atque hæc prima hæresis est; quantum quidem ego assequi possum; quæ Catholicæ Ungariæ ausa fuit vim intentare. sed haud felix illi, diuturnúmque imperium. excisa brevì est vigilantiâ, utì diximus, potissimùm Philippi, indefessáque pro germano DEI cultu sollicitudine. Et verò hoc primum opus, hic labor summus Episcoporum fuerit: populum fidei suæ concreditum ab istiuscemodi sordibus purum servare.

* *Jacob Gualterius in Tabulis suis refert eam ad An. 1273. sed hoc Anno magis innotuit; prius autem potuit incipere.*

Prima hæresis, quæ Ungariam infestat.

Ad Lodomerium delabitur hìc narratio; DEUS bone! quàm magnanimæ mentis Virum. Ladislaus IV. Pontificem Strigonienſem illum nominat, ditat opibus, gratijs cumulat. oneratum tot favoribus hominem, regias declinaturum ad partes, ambigebat nemo. Lusit sua quemque opinio: tantum enim abest, ut flagitijs ea ætate imperantibus Patronus accedat Lodomerius; ut etiam palàm in ea invehi, totísque artubus decertare non dubitet. Itaque adit Regem intrepidus; exponit initiô, quid ab illo ratio exigat Majestatis. Deinde, quantum regnantium exempla partem in utramque possint. tum damna publica censet, quæ invehit vita Principum minùs castigata. ad extremum orat, atque obtestatur verbis gravissimis: Cumanorum amicitiæ sibi Rex interdicat; redigat in ordinem affectus animi; cupiditatibus moderetur; Sacro-sancta Connubij fœdera castè, illibatéque tueatur; suæ consulat saluti; Regni prospiciat utilitati. Denique edicit: si contrà

Lodomerij.

trà, ac decet, Rex pergeret vivere; nôſſet, ſe Archi-Epiſcopum ad latus habere, non aſſentatorem; nec tanquam cum Regni Apoſtolici Domino, ſed veluti cum infenſiſſimo Patriæ, Eccleſiæque hoſte actum iri. Nec ſtetêre intra verba minæ: dum enim Ladislaum iterum, ac ſæpiùs, necquidquam adhortatur; tum demum quod Eccleſiæ Reíque publicæ rationes exigebant, egit. (*) dignum Epiſcopo facinus! qui niſi infra virtutem, populíque ſalutem, gratias, odiáque Principum duxerit: Pontifex audire poteſt, eſſe non poteſt. Timor arguit mancipium, Præſulem Libertas. Et verò tantum iſta agendi ratione Lodomerius potuit; ut non modò Rex nihil in eum licentiùs auderet, gemino quamvis incendio furoris, & libidinis baccharetur; ſed etiam magnopere illum cultu proſequeretur, ſpem de ſe faceret meliorem, Divinam denique rem opibus adjutum iret. Scilicet: nunquam deerunt orbi Theodoſij, ſi non defuerint Eccleſiæ Ambroſij!

* An. 1285.

62. Beneficia Thomæ I.

In turbulentiſſima Caroli I. exordia Thomæ Pontificatus incidit: hic, ne adverſas in partes, quemadmodum Regnum, Religio pariter ſcinderetur; pro viribus, dum vixit, laboravit. Quin & profanæ ſemet Reipub. dedit: névæ Dynaſtæ alienos ſe à Rege ferrent; neu Ungariam popularentur ſuam, author in primis fuit, atque ſuaſor. geſsêre morem dicenti plures, pacémque coluêre. Sed eſt hæc bellorum, præſertim civilium, infelicitas: perinde ut cetera omnia, ita ſacra quoque detrimentum accipiant; nec enim minùs id temporis ſua in lucra intendit teterrimus ille animarum prædo, ac homines arma tractantes. Quare probabilitate non vacat: hac tempeſtate, ſub finem vitæ Thomæ Archi-Epiſcopi, fediſſimam (*) *Fratricellorum* ſectam, Regnum invaſiſſe. Quippe etiam herbarum nocentiſſimæ turbido ſubnaſcuntur cœlo, ſereno extinguuntur. Alteræ iſtæ inſidiæ ſunt, quas orcus Ungarorum pietati

* An. cir. 1277. ortum habuit.

Secunda hæreſis in Ungaria.

ſtru-

ſtruxit; ratus: haud planiorem uſurpandæ Tyrannidis occaſionem fore, ac popularem ſeditionem.

Illuſit cœlum improbis conatibus: juxta mortem Thomæ lectus in Antiſtitem Boleslaus eſt; Vir & ſanguine, & integrite, & curâ, & induſtriâ, ſuprà quàm credi poſſit, longè maximus: qui ut laboranti Religioni opem in tempore adferat; Pontificem periculi, Regémque admonet. Venêre in arenam Prædicatores Magni Dominici; venit Archi-Epiſcopus, & vicit: fuſi, fugatíque ſacrilegi. Pax reddita ſacris, & vetus gloria. (*) plura Boleslai ſunt prodigia; hoc maximum. quid vetat & ſecuturos, ſignis iſtis, orbi inclareſcere Præſules Strigonienſes? certè tam illuſtre, tam magnificum haud unquam fuerit miraculum: corpora ſemel tumulo commiſſa, in vivis rurſum ſiſtere; quàm animas felicem reponere in immortalitatem. Hoc opus; hic unus Epiſcopo labor digniſſimus. Boleslaj. * Cin. Ann. 1327.

Cſanadinus natas de funere Boleslai abſterſit lacrimas, ardénsque populi deſiderium planè exſtinxit; quando ſecum, præter inclytam Telegdianæ gentis familiam, intulit pariter Pontificiæ illi coronæ, virtutem, litteras, eloquentiam. Tanta in homine omnia; dubium ut, controversúmque fecerit: an alterum ſimilem habuerit Ungaria? nihil inconſultô eô actum in regia; nihil in Regni Comitijs; illud demum ſententias tulit omnium, & ſuffragia, quod Archi-Epiſcopo probabatur. Eximiâ iſtâ Regum, Optimatúmque benevolentiâ, ad Reipub. commoda, & Catholicæ pietatis ornamenta Pontifex utebatur: hortatore námque illo & actore, ſuſceptæ in Bulgariam ſacræ Religioſorum expeditiones, pluráque mortalium millia Fidei Chriſtianæ aſſerta; publicis dejecti muneribus in Ungaria Judæi, Cives ornati; Templa, Clauſtráque alia reſtituta de integro, recèns alia excitata; ampliata alia atque ditata. Hæc illa fortunata ſunt Imperij noſtri tempora; quibus ſub Cſanadini.

Hoc tempore plùs, quàm tertia Regni pars Divino cultui fuit applicata.

Ludovico I. Rege, ſub primate Cſanadino, plus quàm tertia ſui parte, ſacris duntaxat uſibus Ungariæ Regnum famulabatur, Cœlo unicè devotum. Tamen liberalitate iſta tam memorabili adeò non ſunt compilata æraria, non exhauſtæ Provinciæ; ut etiam ampliùs exundârint. Nemo bonis affluentior, ac tum Ungarus; Rege illo, latiùs imperavit nullus. I, licet, calumnia; occine modò, tuum illud: per fundata Religioſorum domicilia, Regna imminui; hæreditates exſpoliari; nata in commune popularium commodum latifundia mortuis manibus, veluti quapiam voragine, abſorberi. Cedò iſta, & plura id genus. ajo ego, æterna lege ſancitum eſſe: haud ſapientiùs unum aliquem fœnerari, quàm qui mutuas Cœlo divitias dat. Reverti illinc beneficia in authorem, & in dies alterum tantum ſecum advehere. Contrà, ſi quid Divino conſecratum honori juris tui effeceris, ignem patrimonio injeciſti, brevi omnia depaſcentem. Diſcite Cives, diſcite Regna: unam aquirendarum opum artem eſſe, opes in Superos prodigere! ſed quorſum hæc? redeamus ad Archi-Epiſcopos.

Nicolai de Monoslo.

Secundùm Cſanadini fata datus Strigonienſibus Metropolites eſt Nicolaus de Monoslo. Florentiſſimum Religionis ſtatum, quem à deceſſore acceperat, integrum transmiſit ad poſteros, illibatúmque. Vindex tranquillitatis publicæ, hoſtem, quem in Patria non reperit, debellat in Boſnis; Provinciam res novas molientem ad officium revocat, animi perinde potens, ac manûs. Indè in Bulgariam, ac Sclavoniam curas vertit; & quæ per doctrinam ſanctorum Virorum extirpare haud poteſt, enſe militis Hæreſum lolia exſcindit. Nec malè: nam & in curandis corporum vulneribus, ubi leviores parùm proficiunt medicinæ, igne agis, & ferrô. Deinde etiam: cùm ſpes nulla ſuperfuerit, partem reſecuiſſe, quò totum

tum diſcrimini eripias, non Tyrannidis eſt, ſed clementiæ.

Ad purpurata Card. Demetrij merita venit narratio. Plurima illa; quæ dicam, ſingularia ſunt. Eduxit is, ſuáque in Aula formavit adoleſcentiam Joannis illius Corvíni, Mathiæ Regis, Magni Parentis. rectam Magiſtri inſtitutionem, maturior diſcipuli ætas probat. Novit orbis terrarum Hunniadis magnanimitatem, fortitudinem, religionem, continentiam, laborem, conſtantiam. Hæc tanta decora ex Aula illa! Atque ego quidem ita mecum ſtatuo: vix ut quidpiam ad Rempub. magnificentius, aut etiam utilius facere poſſint Epiſcopi, quàm ſi Optimatum Regni Filios, litteris antè excultos, ſuam recipiant in diſciplinam: nam ſi Aulæ Præſulum, pro eo ac decet, palæſtræ ſint virtutum; haud erit, ut egregium non eluctetur in Virum, qui eas frequentârit. Certè ubi Tirones illi Aulici ſermone identidem acceperint: quibus Reſp. innitatur fundamentis; qua ratione, ſi ſteterint Provinciæ, firmandæ; ſi ruinam minentur, occurrendum malo, pericula amovenda; ſi labem paſſæ, quibus artibus de integro reparandæ. Deinde: qua religione colendi Superi; fidelitate Reges, charitate Patria. tum: quanta legum ſanctitas; qui virtutibus honor; quæ flagitijs infamia. Jam etiam recitantur nomina, & eorum acta, qui bello & pace fortiter ac ſapienter rem geſſerunt; infelices memorantur exitus armorum adverſus Reges & Regnum ſuſceptorum; laudes denique & præmia bene de civibus meritorum recenſentur. Accedunt colloquijs exempla: nihil ibi molle, aut effeminatum; quod aures, oculósque offendat caſtiores, nihil; omnia gravitatem præſeferunt; ſanctitatem item & authoritatem. Prima occupant ſubſellia eruditi, & à vita commendati; paraſitorum autem hiſtrionum, & id genus lutulentorum hominum, ne tenue veſtigium. Quid? ipſos inter ephœ-

62. Beneficia Demetrij Card.

Aulæ Præſulum, palæſtræ Virtutum.

bos, illi in oculis Præſulis feruntur; illi præter ceteros diliguntur; quos labor probíque mores faciunt gratioſos. Alij contrà, qui aut otio ſolvuntur, aut illiberalibus vacant ludis, aut vitio quopiam notantur, ſeverioribus accipiuntur verbis, gravíque ſupercilio. Hæc, atque plura ſimilia, dum ſub aſpectum, intelligentiámque nobilis adoleſcentiæ cadunt; nullâ admodum operâ fit: eam ut in tenera illa ætate efforment virtutum imaginem, duratura ultimum in ſenium integritate; quæ olim emolumento ſit Reipub. ſeculis ornamento. Capit enimverò ingenuas mentes ipſa honeſti, decoríque ſpecies. Laus alios, & famæ amor excitat; hos clientelæ, & futurorum allicit ſpes. Denique timor ipſe ſvaſor accedit boni, ubi deeſt, qui partes ſuſtentet vitiorum. Hæc occaſione Cardinalis Demetrij. cujus non minor laus, nisì fortè etiam ſuperiorem mavis, in Hedvige Regina conſilijs adjuta, eluxit. Fuit Hedvigis Ludovici I. minor natu Filia: hanc Poloniarum hæredem gens illa poſtulavit; indulſit Ungaria; & curam in ſolium deducendæ Virginis Demetrio commendavit. Accepit Provinciam Archi-Epiſcopus; & quam aliàs domi ſæpiùs, per iter majorem in modum pro Imperio efformavit; in receſſu præſertim, duo ut cordi Regina haberet, flagitavit: Religionem, & litteras; validiſſima illa Rerumpub. fulcra. Quantum gratiâ apud Hedvigem Præſul, tantum potuit & oratio. Certè nec Fidei defuit, nec Muſis. Nupſit Jagelloni
* An. 1386. Litvaniæ Duci; (*) quem etiam cum terra illa Chriſto peperit; Conjux ſimul, & Mater Viri. Plenum
Hedvigis Reginæ ardor. admiratione eſt: quàm accenſis illa ſtudijs veritatis Catholicæ propagationem arſerit; quantos labores causâ illius exantlârit. Regina ipſa Litvanos adit; pagatim diſcurrit; hìc idolorum fana demoliri, Templa alibi Divorum exſurgere jubet. Ipſa populum hortatur, invitat, orat, erudit: Apoſtoli juxtà ferventiſſimi, ac Imperatricis optimæ munere defungi-

tur.

tur. Par illi voluntas in Polonos: quos quia Catholicos reperit, sanctissimis duntaxat vitæ exemplis stabilivit; neu in errores declinarent, Regni caput Cracoviam, artium bonarum emporio, (*) velut armaturâ quâdam vinci nescià, munivit. Magna profectò mulier, & Ungarici undique animi! debet illi Ecclesia Romana, alterius nationis inclytæ accessionem nobilissimam; conservationem alterius fidelissimam. Debet orbis Sarmaticus stirpem Jagelloniam, plura per secula, augusto illo in throno, semper cum Reipub. gloria refulgentem. Debent liberales disciplinæ omnes, suam in amplissimo Regno habitationem; magnificámque tot præclarissimis in Lechicæ gentis Ingenijs commorationem. Ut adeò, jure quàm optimo, inter primas Orbis Christiani Heroides censeri Hedvigis mereatur; quæ raro prodigio, femineum animum, virili prorsùs illustravit magnificentia. Atque hinc non modica laudum pars in Demetrium venit: si quidem rectè consuluisse, sit recta fecisse. Ad Sigismundi Regis ætatem devolvimur; turbis, bellis, seditionibus refertam.

(*) *Fundat Academiam Cracov. An. 1399.*

Triginta ipsos annos scenæ istius spectator vixit, qui Demetrium continuò secutus est, Archi-Episcopus Joannes Kanisajus; Spectator, inquam, tristium, sed Actor fortium rerum: ubi illum publica Regni salus, ac Fides Catholica auxilium deposcebant. Tuitus illam est diligentia omni; hanc etiam ornavit sacris ædibus fundatis, conditísque Cœnobijs. Sed multò elegantiùs, veteri Majorum conservata religione, pulsis procul, debellatísque Ecclesiæ hostibus; quos immanis illa *Hussitarum* tempestas, ex Bohemia in Ungariam, torrentium ad instar, immiserat. Sanè siqua uspiam, hæc his in terris hæresis, viribus abundabat: authoratus illi stabat in campis Bohemus plurimus, gens manu potens, & armis; sufficiebat animos fusus toties Sigismundus; denique spem imperij faciebat adversa Ungarorum in Regem voluntas.

64. Beneficia Joannis Kanisaj.

Tertia hæresis in Ungaria.

tas. Profectum tamen nihil: reperit hydra ſuum in Joanne Herculem. parte omni Regni virus depulſum, priſca ſedibus Fides repoſita. Ceterùm, quæ humanarum viciſſitudo eſt rerum, erepto ex vivis Kaniſajo; Sigismundo deinceps, ac mox etiam Alberto Regibus; rurſum concuti Ungaria, résque Catholica laborare. Cauſa mali Eliſabethæ Reginæ Viduæ inconſtantia: quæ dum incolis eligendi novi Regis poteſtatem modò indulget, modò antiquat; Regnum in partes ſcindit, & tantùm non in præceps agit. Adhæsêre pars major Uladislao Polono, Reginâ ipsâ in eligentium ſententiam principiô concedente; ſtetêréque à Rege Fideles, quêis minimè probabatur levitas feminea. Pauci Eliſabethæ ſtuduêre; quorum factiones ut ipſa promoveret, Bohemum in Ungariam arceſſit, (*) & cum illo hæreſim; quâ etiam tum populus is peſſumibat.

Quartùm hæreſis Ungariæ infeſta.

*An. 1440.

Extuliſſent, procul dubio, ſigna errores ſacrilegi, turbatâ præſertim undique Repub. nisì Dionyſij Szécſij Card. eminens virtus, freno licentiam, terminísque compeſcuiſſet. Peregrina ſacra hoſpitio accepit Ungarorum nullus, minùs animo. Contagio tota præſidijs concludebatur, quæ advena ille miles inſederat. Adeò contra flagitia omnia, obvallaverat mentem Civium, Archi-Epiſcopi induſtria. Doluit ſceleri jacta ſæpe in vanum alea: ergo domeſticam armat rabiem; continentes plagas, factis identidem excurſionibus divexat; Templa ſubvertit; Cænobia evaſtat; ferro in Aras furit, & igne. Quaſi verò peregregium exhibeat militem: inermes ſacerdotes, inanimáque ſaxa ſolo alliſiſſe. Sed præludia ſunt hæc futurorum malorum. DEUS bone! quantis olim, tuam Ungaria avitam Religionem, involvent incendijs, infames illi titiones, Lutherus, & Calvinus. macte tamen animo! erunt, qui & hos reſtinguant, Archi-Epiſcopi; erunt, qui ſuppetias veniant, Reges. jam autem Bohemicæ illæ flammæ, etſi viginti admodum

Dionyſij de Szécs Card.

modum annis regnum exercerent, nihil tamen funesti in animas potuêre, excubias agente Szécsio. Cujus etiam authoritati datum: ut publicis in Comitijs (*) Corvinus Rex, ac Senatus universus, perduellionis eos notâ afficerent, qui hæresi adhærerent. Indè laudatus modò Mathias, pacto nullo se induci passus est, quò locum in Ungaria istiuscemodi hominibus colendum daret. Redierant cum illo in gratiam Bohemi; multus etiam ex ijs miles in castris, & ille Regi probatus in primis. Itaque spem concipiunt *Hussitæ*: (*) si unquam, hoc sub Principe, plana sibi fore omnia in Ungaria; dummodo Budam adirent, populares in Aula gratiosos appellarent. Optimatum captarent patrocinia, Regem demum pro habitatione orarent. Adeunt, appellant, captant, orant. Sed quoniam regium est: quemadmodum in suppliciis inferendis, ita in conferendis beneficijs præcipitem non esse; sciscitari de illis Mathias: ecquid tandem causæ adferrent, quòd deserto solo patrio, alienæ vitam credere irent telluri? Religionis Sacro-sanctæ gratiâ, reponunt, se Ungariam petiisse. Cujus, inquit Rex, Religionis? illiúsne, quam Divus gentis nostræ Imperator Stephanus Ungaris colendam dedit; quam ab Majoribus nostris traditam, in quintum admodum seculum, sartam, tectámque, veluti grandem hæreditatem, filij tuemur? Hærere hìc aqua oratoribus; circumspicere se se singuli; turbari vultu; ac, quid porrò dicerent, anxij animo volvere. Tum, nescio quis, ceteris audacior sic Regem alloqui: illam Religionem Catholicam tuum in Imperium, ô Rex, inductum venimus; quam à Magistro Orbis terrarum Christo institutam, Pontificum socordia nongentis ampliùs abhinc annis penè evertit; Joannis Huss, Magni Doctoris Sapientia, Bohemis nuperrimè restituit. Plura volentem, interpellat Corvinus: Itáne verò mortalium impudentissime, palàm Ungarorum Rege, atque in luce populi Ungarici, Ungaros ha-

Hæresis est nota infidelitatis in Ungaria. (*) *An.* 1462. *Art.* 2. *Tripart.*

Quintus impetus hæresis in Ungariam

(*) *Ann. cir.* 1480.

ctenus universos mente excidisse arbitraris; qui socordiâ Pontificum corruptæ Religioni detulerint? Reges nostros, Progenitores nostros, æternis addicis cruciatibus; qui adultero Superos cultu habuerint? unus ergo tuus iste Joannes sapuit? unus tot clausum seculis Cœlum reseravit? quæ isthæc est væsania? qui furor? tot clarissimis juxtà, ac prudentissimis Viris, ganeonem aliquem, Sicarium, parricidam anteducere! eripe ocyùs te oculis meis, regia, urbe, regno; nî continuò supplicia omnia experiri velis. Dixit; & iratior secretius in conclave pergit. occupat iter Hussita atque humi stratus, regios adorans pedes; per sacra omnia, ac profana Mathiam obtestatur: misereri velit peregrinorum; néve imbellem turbam, Uxorem, ac liberos (hæc, nec alia sunt, hujusmodi Apostolorum, insignia) tam repentinum in exilium agere. Facturos se imperata omnia, terrâ modò Ungarâ potiantur. Jurant adhuc, nihil se eorum commissuros, unde vel leve præjudicium Catholicæ Religioni. Bene habet, ajt Rex, ne nihil vobis dedisse videar, tenebitis, quam ardetis, terram. Itaque è vestigio in mandatis dat: egeratur in fossas tellus; conjiciantur eò peregrini, libri, supellex reliqua; denique tumulentur continuò omnia. Egeritur, conjiciuntur, tumulantur.

65. Beneficia Thomæ Bakacs Card.

Sub Uladislao II. Thomas Bakacsius magnum, ac splendidum in Ungaria, atque adeò Ecclesia universa nomen, Archi-Episcopale solium conscendit milles. quadringentes. nonages. septimo. illustria Viri merita clariùs effulsêre sublimiori de loco: quò Ungariam Turcarum immunem redderet, operam omnem, & opem contulit; egit Romæ, egit apud primos orbis Monarchas. Aluit de suo militem, fines patriæ defendit, excursiones barbarorum submovit. Non minor erat in ijs, quæ ornamenta Regni spectant; huic ut præclarissimi homines nunquam deessent, magnam pecuniarum vim effudit, quò bonis artibus

Juven-

Juventus Ungara excoleretur in Italia, Germania, Polonia, Patria ipsa. Geminas deinde erexit familias, in hanc diem, toto hoc imperio florentissimas: alteram Palffiorum armis semper celebrem; Erdôdiorum alteram consilijs eminentem. Dixeris: ex amplo illo Thomæ sinu, velut ex quodam quasi oceano, duos profluxisse in commoda Reipub. fluvios; alium, quo irrigetur; alium, quo valletur: aut, si mavis, progenitam sacra de Præsulis mente Minervam, paci juxtà ac bello peropportunam. Sanè quantus ætate sua Thomas fuerit, luculentè declarant, & frequentiores ad eum Leonis X. Summi Pontificis litteræ; & Imp. Maximiliani cùm aliàs, tum dum Viennæ Archi-Episcopus morabatur, singularis benevolentia. Et tamen Vir hic (rarò Magni tuti ab calumnia) multùm ex infamia, præsertim apud plebem, laborabat: quòd impetrato Romano diplomate in speciem Regno studuisset, re autem vera direptioni illud prædonum exposuisset. Quasi verò si de honesto, decoróque, mali quidpiam, ac detrimenti, præter naturam, ac intentum, enatum fuerit; author perinde horum, ac illorum habeâre. Profectò nec DEO jam suarum licebit esse actionum securo; quid enim tam sanctum, quod non in vitium agat, si modò velit, mortalis perversitas? melior mens de Bakacsio ijs, qui altiùs rem sunt scrutati, neque ex ratione discesserunt.

Falsò infamatur ob bellum Cruciferorum.

Ladislaum Szalkanum, Ludovicus II. post obitum Georgij Szatthmarij, Archi-Episcopum nominavit MDXXII. hominem eruditione juxtà, ac virtutibus ornatissimum. Primus ejus hoc in honore pro salute Regni desudavit labor adversùs Lutherum; cujus errores ante quinquennium in Saxonia infausto omine editi, jam omnem ferè in Septemtrionem grassabantur. Ut enim pestilentia vix unquam iisdem, quibus orta est, continetur terris; serpit contagione in vicina Regna; ex his in alia rursum, ac alia; dum

Ladislai Szalkani

Sextum hæresis irrumpit in Ungar.

vel peſſumdet univerſos, vel extremis malum opprimatur remedijs: haud abſimili pertinacia gloriatur hæreſis; neſcit quietem ad perturbandum nata; inſigni impudentia ſeſe multorum animis inſinuat; ut, quoniam æquitate partes tueri non valet, ſaltem fulciat multitudine; habitura enimverò ſucceſſum, nisì in tempore, locóque occupes. Occupavit Szalkanus, cursúmque intercepit, quando & An. MDXXIII. Simonem Grinæum primum Lutheranorum in Ungaria anteambulonem in carcerem Budæ compegit; &, ut publicis Comitiorum tabulis, ejuſmodi ſectæ homines ſuis cum Patronis, capite damnarentur, bonáque ærario addicerentur, impetravit; (*) & denique biennio pòſt effecit, ut communi ordinum omnium decreto (*) ſevera de ijs quæſtio haberetur, deprehenſi incendio darentur. Exhauſiſſet virus iſtud Ladislai dextera tam potenti auxilio cumulata; nisì Regem, Præſulem, Ungariam demum ſanctiorem, Anni inſequentis IV. Kal. Sept. Mohaczienſi in campo chalybs Turcicus hauſiſſet. Indè dies illa orbi Chriſtiano funeſta, transfugis iſtis hoc in Regno vel hodie ſacra colitur, & triumphalis. Non miror: eam ipſam Turca quoque, ſuo velut faventem imperio, inter religioſas numerat, veneratúrque.

* *Vide An. 1523. Art.*

* *An. 1525. Art. 4.*

66. Acta Pauli Vardai.

Secundùm cædem Szalkani ornavit, an onerawit caput Pauli Vardaji Infula Strigonienſis. difficillimis námque Reipub. temporibus Eccleſiæ illi moderabatur quattuor admodum, & viginti annos. Ultimus Epiſcopium coluit, translata An. MDXLIII. Poſonium Metropolitana Sede; quô etiam, capto per Solymanum Strigonio ingemuit. Inter memorabilia pro publica Regni ſalute Pauli acta; Arx eſt Ujvarienſis, quam primus excitavit. Pro Religione Catholica, quantum per arma, ac perpetuas infamis illius ætatis ſeditiones licuit, laboravit. Ceterùm quia id temporis magìs regio, quàm religio cordi fuerat; nec, quod liceret, ſed quod liberet, bonum æquúm-

æquúmque æſtimabatur: nihili, quæ ad DEUM faciunt, ducebantur; ſummi, quæ in propria cujusque commoda. Unde, fœdum dictu! profani homines in ſacra invaſerunt, Septem Epiſcopatus occupârunt, vi atque rapinis omnia polluerunt. Hæc tanta, tam atrocia, tam ſingularia maleficia, haud difficilem fecêre aditum in Ungariam Luthero; cujus apparitores, quòd *Conſcientiæ libertatem* annunciarent, benignè audiri, in hoſpitia deduci, multùm lautè diverſari apud eos, qui de alieno vivere, ſolenne habebant, ac familiare. Junctæ tum ex conſuetudine amicitiæ, probatum dogma novitium, itum denique in mores, vitámque liberaliorem: amant nempe inter ſe ſcelera; faciléque obtinet, par ut pari nectatur. Corrupti Lutherana tabe Optimatum nonnulli, in eos primùm, quos ſub clientelis fovebant, malum transmisêre; ſecuti vernæ, & ſervitia; tum ſubditus populus: neque enim his non æquum eſſe videtur, quod probari heris intelligunt. Hac ratione ſumſit incrementa Calvinus pariter; quamvis An. MDXL. VIII. publico univerſi Regni ſancito exeſſe juſſus. ſed quemadmodum Lutherani decretos illos ignes, ita Calviniſtæ exilia indicta risêre; nemine, qui in damnatos animadverteret, reperto. Inſtabant identidem boni, ac conceptis verbis, in omnibus admodum Comitijs, tutandam, conſervandámque *Veterem*, *Veram*, *Orthodoxam*, ac *Catholicam* Religionem urgebant; hortabatur ad retinendam eam ipſam Ferdinandus, quoniam ferro cogere, bella Turcica prohibebant; agebat pro virili ſua & Archi-Epiſcopus; fruſtra omnia. torrentes hos væſanos agger nullus morabatur, obſtacula nulla; maximè cùm jam & miles externus agminatim feces illas ſecum in Ungariam volveret, & vicina exundarent de Tranſſilvania errores. Superi boni! quantum imminet plebi, quantum Nobilitati naufragium! at timete Proceres: parcite famæ veſtræ, fortunis veſtris, poſteris veſtris!

Cir. Ann. 1527.

Vide Art. 11. Calviniſtæ irrepunt in Ungar. cir. An. 1545.

ij, quorum dexterâ nitebantur initio ſpes Lutheranæ apud nos, & Calvinianæ; ubi, oro, hodie? ubi eorum bona? ubi nomen, honor, fama, gloria, virtutes, hæredes? paucos intra annos ad unum interîêre: alij infamiâ; merore animi alij; gladijs alij ſicariorum. Compilatæ omnium opes; de nepotibus eſt ſuper nemo; æternæ nominibus inuſtæ maculæ. Quid multa? ne cineribus licuit eſſe quietis; ab ipſis hæreticis refoſſi illi, ventísque mandati. Tanti eſt de ſincero DEI cultu decedere!

67. *Cur Calviniſtæ dicant ſe Ungaricæ Fidei.*

Ceterum quoniam de Calviniſtis injecta ſit narratio, non abs re fortaſſe quæremus? ecquid cauſæ fuerit, quòd ſectam ſuam communi appellatione *Ungaricam Fidem* (Magyar Hit) nominaverint? an, quia gens Ungara, prima ſui ad DEUM acceſſione Calvini *Inſtitutionibus* imbuta ſit? at quî iſtud? quingentos ipſos annos, ac ampliùs, poſterior Calvinus eſt primo Rege Ungarorum Sancto. Ubi id temporis ejus *Inſtitutiones*? Exſtabant, inquis. ſcilicet: proles nativitate præcedit parentem. In libris, ajs, ac animis Ungarorum morabantur. ſile libros; cedò folium; & fidem tibi habeo. Animorum porrò unde tibi notitia? vin' illos nôſſe? inſpice gentilitium Ungariæ ſignum; nónne Crucem intueris? lege PP. decreta; nónne cultum Magnæ DEI Matris, ijs habes commendatum? evolve veteres litteras; nónne Monaſteria fundata à Regibus, à Principibus, à Nobilibus reperies? Superi! quàm ſancti ea tempeſtate Calviniſtæ! iſtáne omnia ad Calvinas illas *Inſtitutiones*? ſi ita; eccur hodie Majorum veſtigia diſplicent? ſi eâdem cum illis religione es, cur non eàdem vitâ? non eôdem DEUM colendi modô? non eadem integritate? Itaque alia, oportet, nomenclaturæ ratio ſit: fortaſſe quia donati ſunt Ungariâ? quæ contra eos faciunt, legere eſt in Decretis; quæ pro ijs, nuſquam: peregrinantur apud nos, diverſantur, hoſpitantur. Quare ut finem quæſtioni ponamus, rem

ita

ita eveniſſe arbitramur: cùm Lutheri præcones Ungariam ingrederentur, in ea loca concedebant, quæ colerent ductæ olim è Saxonia coloniæ; pro imperio videlicet Martini ſui. Unde etiam primi de populo Saxones erant, quos vertigo illa præcipitavit. Calvini porrò buccinatores, quoniam ſeriùs in Regnum irrepſerunt, præreptas urbes, ac oppida reperêre. Ergo capto in arena conſilio, ad pagos divertunt, & villas; rudíq; plebeculæ, ſuis orbatæ inſtitutoribus, imponunt: quæ progredientibus deinceps annis, dum nullum ſacris ſuis videret accedere Saxonem; militem adhoc Germanum eorundem Templa Saxonum frequentare; ut diſcrimen quodpiam inter ſectas conſtitueret, ſuam nuncupavit: *Fidem Ungaricam.* Quæ omnia vel ex eo licet intelligere, quòd Lutheranam pariter doctrinam, plebs Ungara *Germanicam* paſſim nominet *Fidem.* Verùm inſolens hic, ac immodicus eſt verborum abuſus, mihíque ſemper adeò improbatus; ut idcirco hanc digreſſionem hunc in locum conjecerim, quò vilis, imprudentísque popelli temeritatem, an væſaniam? caſtigarem. Quid enim audaciùs? quàm herì nata commenta, pervetuſto, ac nobili adornare appoſito. Quid inſulſius? quàm amplum, ac magnificum nomen, privatæ adjungere factioni.

Quæ eſt genuina Fides Ungarica?

Vultis, boni Viri, cognitam, compertámque habere Fidem Ungaricam? eſt illa, cui primùm Geyſa Dux aſſurrexit; quam Divus Stephanus Geyſæ illius Filius univerſo cum imperio accepit, mirificè ampliavit, ſummo ſtudio exornavit; quam Progenitores noſtri contra Dacos, Tartaros, Cumanos, Turcas continenter gladijs, vita, ſanguine propugnârunt; quam omnes perpetua ſerie Reges, per ſeptingentos, & ultrà annos, caſtam, illibatámque conſervârunt; quam melior, ſapientiórque Ungaria; luctuoſiſſimis etiam, atque profligatiſſimis Regni temporibus, cordi habuit. Nunquam huic cum Eccle-

sia Christi malè convenit; è nutu, authoritatéque Petri stat; paucis: Apostolorum, Servatorísque hominum divinis institutis obaudit. Hæc est Fides Ungarica! cui si quis bellum indicit, si quis adversùs facit; non illum ego Ungarum, non Fidei Ungaricæ hominem; sed advenam pronuncio, & erronem. Satìs morarum. pergendum est.

68. Beneficia Nicolai Olahi.

Nicolaus Olahus triennio pòst succedit Vardajo; Vir eruditione omni clarissimus, nec inferior pietate. Semel ac iterum Concilium Tyrnaviæ coëgit, quò suæ Clerum disciplinæ redderet. bona fortunæ Superis devota, ut à profanis per Regem vindicarentur, impetravit. Induxit Societatem Jesu in Ungariam primus, futuram deinceps metam hæreticorum odiorum. primus item adolescenti Clero Seminarium excitavit, transmisso in futuros Præsules grandi exemplo; qui paria, aut majora etiam olim audebunt, ubi lætior Ungariæ sol affulserit. addamus laudibus Nicolai Olahi non indignam appendicem Nicolaum Istvanfium, alterum Patriæ Livium; hunc ille aulâ fovit, hunc ab epistolis habuit, & in delicijs; Præsul sapientissimus, Juvenem doctissimum. nempe qualescunque sunt Principes, tales ferè sunt & ministri. nôsse cupis: hunc, aut illum apud Dynastam; vitia, an virtutes? nugæ, an litteræ dominationem obtineant? eos intuere diligentior, qui in obsequijs versantur. horum mores, Dominum loquentur. Si qua aularum, proscenij ad instar Roscios duntaxat, nec sapientes alios, alat; in eo, quem penes imperium est, non mentem, non sensum quæsiêris. Si contrà, senatoriam quandam gravitatem præ se omnia ferant; prudentiam id loci tenere sceptra, reperisti. par ratio ceterorum. nam quemadmodum à sano, aut vecordi capite, reliquorum membrorum moderatio pendet, vel petulantia; haud aliter ab herili vita, servitiorum mores.

Dynastæ sui ex Aulicis noscuntur.

Anto-

Antonius Verantius non ipsum quinquennium in Archi-Episcopatu exegit. celebratur à magnis pro Repub. præclarísque laboribus exantlatis : tuitus Istrum est adversùs Turcam; multas, eásque graves obivit Legationes, etiam ad ipsa Asiæ confinia. memoratur denique Arianos Regno depulisse, & Zvinglianos. Antonij Verantij.

Ad septimum decimum seculum aliquando devenit narratio; seculum felix, & præstantissimorum Archi-Episcoporum feracissimum. Septem continenti ordine ij sibi successerunt; sub quibus, superiorum annorum clade multum afflicta res Catholica, sensim restitui, vires colligere, ac omni propemodum obtrito hoste, veteri fortunæ reponi cepit. Familiam eorum Card. Franciscus Forgachius ducit, bono Patriæ, & Ecclesiæ natus. Stephanus Bocskajus bellum pace componit MDCVI. qui ut hæresim in Ungaria firmet, pervicacissimè postulat religionum libertatem, & impetrat. (*) multa præterea extorquet ambitio hominis pro libidine omnia versantis, quæ dignitatem Cleri, Fideíque Orthodoxæ majestatem solvant. atque ut uno propugnaculum Ecclesiæ subruat cuniculo : Jesuitarum omne jus antiquari petit, bonísque fortunæ exui. Subscribitur isthìc pariter petentis voluntati; (*) alia quandoquidem via non suppeteret adipiscendæ tranquillitatis. quibus ut stabilitatem adderent adversarij, mox binos post annos, quò rata fixáque omnia illa Regnum universum haberet, frequentissimis in Comitijs egêre. facilem repererunt preces Palatinum hæreticum. (*) qui cùm omnia unus apud Regem posset, etiam illius suffragium tulit, grande in partem utramque momentum. Atque hæ illæ Pacis Viennensis conditiones sunt; hæc illa Posonienſis Concilij sancita; quibus libertas peregrinarum religionum tota innititur : quasi verò alumni earum publico ordinum omnium consessui probarentur, ínque domesticis censerentur. verùm

69. Beneficia pub. Francisci Forgách Card.

* *Vide Pacificationem Vienn. ad Art. I.*

* *Ibidem ad Art. 8.*

* *Vide decreta Ann. 1608.*

Proteſtatio fuit Ann. 1608. Fer. 6. poſt Feſt. S. Elisabeth.

quantacunque hæc machina fuerit, ingenti eam auſu proſtravit virtus Franciſci, quando univerſo cum Clero decretis illis interceſſit; néve olim vim Legis aquirerent, publica authoritate cavit. mox unanimi conſenſu Optimates & Nobiles Catholici pro Societate Jesu, & quod conſentaneum eſt, pro ſinceræ Religionis integritate deprecati ſunt Regem tanto verborum ac rationum pondere; nihil ut gravius poſſit dici, æquius nihil. ex his manifeſtum fit: potiorem Ungariam ſanctionibus illis contraiviſſe, adeóque ita infirmâſſe omnia; ut, ſi ſitum inter Decreta demſeris, poteſtatem robúrque nullum habeant præterea: neque enim Lex ulla in Ungaria obtinet, in quam cum Rege ſtatus pariter omnis omnino, Ordóque non jurant. Onus communi omnium humero ferendum, communem expoſcit univerſorum voluntatem. Unde ſubijt haud rarò mirari: qua tandem ratione religiones heteroclitæ gloriari poſſint ſuis à partibus Leges ſtare Ungariæ; quoniam illæ, eo ex tempore, quô interceſſum eſt, ſint nullæ. Atque iſtud curæ ac vigilantiæ Forgachij refert Fides Catholica; quam ut ampliùs tueretur, exulem jam indè à Bocskaijani tumultûs initijs Societatem Jesu reducit in Patriam, ejúsque loci poſſeſſionem Tirnaviæ dat MDCXV. in quo deinde magnificum exſurget Collegium, celeberrimáque Artium optimarum Academia. ejuſdem pietati Urbs illa debet receptos PP. Seraphicos, quos tempeſtas ante memorata exegerat. Clerus demum Synodum ibidem congregatam, & ex ea natam morum ſanctimoniam.

Typis vulgata ſunt hæc omnia Viennæ 1646

70. Beneficia Petri Pazmanni Card.

Erepto lugenti Eccleſiæ Franciſco, Petrus Pazmannus Jeſuita ſucceſſor datur. hunc calentiſſimis precibus Ungaria omnis ſibi Præſulem poſtulavit; Romam pro eo Mathias Imp. ſollicitavit; Paulus V. Pontif. indulſit MDCXVI. Si quis Archi-Epiſcoporum, hic ſanè publico Fidei Catholicæ, & Patriæ ſuæ bono elaboravit; immo in exteros protendit beneficia,

cia, orbémque Christianum. Regem, quem creaverat, nunquam destitit consilio fovere, & auxilio: gliscentem populi seditionem oppressit; Magnatum animos suo restituit Principi; quin & Romæ pro eodem rem è sententia gessit. ubi pariter haud leves controversias, quæ Pontificem inter ac Hispanum Regem interceserant, tantâ sapientiâ composuit: nihil ut à majestate alteri decederet, plurimum etiam gloriæ accederet alteri. sed hoc extra Patriam. In Ungaria quæ egerit, quis pro dignitate censebit? ne sui populo unquam deessent animarum Magistri, Collegium grande excitavit in Austria * Viennæ, à Fundatore *Pazmannianum* nuncupatum, Virtutis ac Litterarum nobile Seminarium; in quo instituitur, adolescítque Clerus in hæresum ruinam, Fidei Orthodoxæ dilatationem, Regni Apostolici salutem. Alterum ejusdem Cleri Seminarium Tirnaviæ S. Stephani Regis, quod de Olaho natum, suis adhucdum luctabatur cum cunis, ad virilem eduxit perfectámque ætatem. Addidit ibidem, * quò Politico quoque statui consultum iret, Convictum Nobilium egregia dote ditatum. Vetus Ungarorum Regum pietas, è Cremnicensibus auri sciffuris, Archi-Episcopis Strigoniensibus certas ejusdem metalli addixerat reliquias quot annis de ærario illo pendendas; quæ, quòd pisorum forte imitarentur molem, (alij à Pesetto voce Itala deducunt) *piseti* nomen censui indidêre. pium istud ac liberale vectigal temporum iniquitate interturbatum est, jámque pro antiquato habebatur: quoniam centum admodum annis solveretur nihil. Pazmannus, qua erat animi magnitudine, primus rem aggreditur; obstacula quæque perrumpit; veteríque loco pensionem reponit. ex hac, quina Ille millia victui Juvenum singulos in annos numeranda constituit; útque perpetuam faceret solutionem, diras in eum addidit, per quem staret, ne solveretur. rata omnia habuit Ferdinandus II.

Exstant in M. S. P. Gab. Hevenyesi.

* MDCXIII.

* An. 1624.

Urbanus pariter VIII. firmavit omnia, multísque laudavit. at enim quo jure Pazmannus bona Archi-Epiſcopis obligata, exteris ſcripſit? ſanè quàm optimo, quàm æquiſſimo: tum quia in reſtitutionem penſionis illius multa de ſuo contulit; tum quia novus tanti beneficij exſtitit author, altérque Fundator: exiſtimabant enim plerique omnes futurum fuiſſe, ut favor ille regius prorſus extingueretur, nisì Pazmanni virtus in reparationem incubuiſſet. Jam verò quò Adoleſcentibus ad manum forent Magiſtri, Poſonij Collegium Societati JESU erexit ad S. Martini ædem, Scholásque aperuit. * Induxit eosdem Patres in Capitulum Scepuſienſe, Szattmarinum, Leuthoviam, & bonis ditavit de Beneficio Corporis Chriſti. Homonnenſibus deinde ſuppetias venit. denique Tirnaviæ magnificam ſtudiorum Univerſitatem fundavit, * eorundem JESU Sociorum curæ, induſtriæque concreditam. quâ quidem Academiâ excitatâ, quantum gloriæ Regno, utilitatis Nobilitati, emolumenti Eccleſiæ, damni hæreticis intulerit; cogitando fortaſſe aliquis erit, ſcribendo certè nullus. adde hìc: excultum magnis ſumptibus Divi Nicolai Templum ejusdem loci; bina item reſtituta Aſceteria, aliud Fratrum Seraphicorum; Sororum aliud Clariſſarum. demum exſtructum de fundamentis ſuo cum Sacrario ijsdem PP. Franciſcanis Ujvarienſe Monaſterium. Nequedum ſtitit tot curis fatigata religioſiſſimi Principis publica in ſalutem Patriæ providentia. ubi ſua exhauſit æraria, de alieno gloriam DEI promovere elaboravit. verbis multos hortatus eſt, & litteris; exemplo plurimos. auſim ſcribere: vix ulla ſeculo proximè ſuperiori majoris nominis facta ſit fundatio, quæ ſuaſorem, aut authorem non agnoſcat Pazmannum. nam quamvis multa, eáque præclara ſecundùm obitum Petri acta ſint; ea tamen ab exemplari tanto profluebant: cui proximè accedere quiſque magnorum honori ſibi vertebat;

* An. 1626.

* MDCXXV.

bat; recedere, dedecori ac ignominiæ. Adjecit his omnibus, precioſiſſimas ampliſſimæ ſuæ mentis opes, libros plurimos in communem Ungarorum ſalutem luci datos. in quibus vel hodie vivit, nec minus operæ in reductionem errantium confert, ac olim, dum per quadraginta ipſos annos ad concionem diceret ſive Jeſuita, ſive Archi-Epiſcopus. Atque omnino huic incomparabili Viro ſuam ad Fidem Catholicam acceſſionem debent triginta & ampliùs Illuſtriſſimæ Familiæ, multa adhæc nobilitas, populus longè plurimus. ut adeò, moriens dicere poterat cum Gregorio Neocæſarienſi Sancto Antiſtite: tot ſe relinquere à religione transfugas, quot amicos reperit, dum Ungariam colere cepit, hactenus de magno illo Pazmanno,

Emericum Loſium Petri Succeſſorem haud diu licuit Ungariæ adorare. non quinque annos dignitate potitus eſt. unum educando Clero poſuit Seminarium Poſonij nominis ſui Tutelari conſecratum. oſtendit modò quid egiſſet, ſi Cœlum terris hominem indulſiſſet. 71. Emerici Loſij.

Terni iſthic continenti ordine ſequuntur Georgij; familiam ducit Lippajus Princeps modeſtiſſimus, dignus vel ideo primâ Infulâ, quòd ne verbulo unquam eam ambiviſſet, licet apud Ferdinandum III. valeret gratia, & affectu plurimum. Auctus porrò dignitate tanta, nihil potius habuit, quàm publicos veræ religionis hoſtes laceſſere; ſuſceptum feliciter à Deceſſoribus pro Eccleſia Chriſti bellum, magnis, indefeſsísque conatibus urgere; priſtina denique Ungaræ Sanctimoniæ decora revocare. Indè loca bene multa, in primis nobilem Danubij Inſulam Cſalókőz dictam, hæreſi repurgavit, & duodecim Jeſuitis colendam tradidit ad An. 1644. mox, biennio nondum elapſo, eosdem JESU Socios Trencſinium Urbem infert; hoc eſt, in ipſo errorum corde ſpiculum defigit, certiſſimam illis mortem allaturum. Vix credi Georgij Lippaj-

poterit, quanta contentione virium omnium egerit id temporis Trencſinium adversùs Societatem; ſed illa opprobrijs, odijs, ſaxis, quibus identidem impetebatur, ſuperior, meruit conſtantiâ An. MDCLI. celebrem illam Tironum Domum, ac Templum; quæ Lippajus, voti damnatus, Indiarum Apoſtolo Franciſco Xaverio, inſigni liberalitate perſolvit. Ejuſdem Principis beneficio inducti Jeſuitæ Szakolczam, Neoſolium, Schemnicium, Kesmarkinum, Roſnaviam; atque hoc poſtremo Archi-Epiſcopali in Oppido illius ſumptibus vivit etiamnum Societas, quemadmodum & Gyöngyöſini Scholæ florent. ita nempe causâ Sociorum JESU ſemper, & omnia vehementer volebat Præſul maximus. neque tamen neglexit alios; certè Ordo Seraphicus plura ab eo beneficia; & in primis Cœnobium S. Antonij in Inſula, quam prædiximus, Danubiali, accepit. Jam quæ Clerum ſpectant, totus in eo erat, is ut vitæ integritate, & doctrina anteiret: huc ad exemplum Pazmanni Synodum convocavit; Eccleſiæ Poſonienſi, Lectorem (ùt vocant) dedit, & penſione Sacelli S. Ladislai Regis, à ſe ſuo in palatio erecti, ditavit; denique ut mittamus plurima, Collegium Cleri Regni Ungariæ Anno MDCXLIX. inſtituit ijs legibus, veſte, ceteráque vivendi normâ; quibus in Urbe Germanorum, Ungarorúmque Domus gubernatur. hæc pro ornanda ſincera religione; pro qua tuenda ſcriptis, & voce in Comitijs Poſonij egit; * húcque rem deduxit, nemo ut Catholicorum probârit regiam illam nonaginta Templorum ceſſionem, duos ante annos, per Rakoczium pro heterodoxis extortam. quanto autem odio proſequeretur omnem in Fide peregrinitatem, indè licet intelligere: quòd perturbatiſſimis quoque Daciæ temporibus, in Provinciam illam egregios Viros ſemel, ac iterum miſerit, qui errore lapſos erigerent; ſtantes firmarent; Sacra Romana vel morte propugnarent. In Ungaria ſupe-

* An. 1647.

periori ſchiſma Græcum aggreſſus evicit, ut in dogmata Eccleſiæ Catholicæ obedientia jurarent Sacerdotes Rutheni; quíve Romam mitteretur, libellum conficerent, teſtem obſervantiæ in ſummum Pontificem.

Szelepcsénius, Vir conſiliorum, Lippajo proximus ſedit. tanta illi ſapientia & authoritas; ut quidquid extra, intráque Ungariam à Regibus ageretur, ageretur id de ſententia Szelepcsénij. multus fuit in accurranda Repub. plurimus in Eccleſiaſtica: quartum Orator Imperatorum, conciliavit ſibi animos exterorum Monarcharum, & ad uſus ſuorum Principum conjunxit. Sacra omnia, rerum diligentiſſimus, non modò conſervavit integrè, illibatéque, verùm etiam magnificè ampliavit: Tirnaviæ, quo Sclavi uterentur, Divi Michaëlis honoribus Templum conſtruxit. Seminarium ibidem pro Clero, nobilíque Juventute poſuit, cui alterum vix vidit Ungaria. bina adhuc Jeſuitis fundavit Collegia: Leuthoviæ, & Szakolczæ; quos & Zolnam induxit; unum dedit Carmelitis Monaſterium. Protendit etiam in Styriam favores, Cellásque Marianas donísque, Arísque cumulavit prorſus eximijs. ubi & terræ creditus eſt. Georg. Szelepcsénij.

Szecsénius Szelepcsénium ſequitur, in ſalutem Patriæ, ornamentáque Fidei Catholicæ natus, atque factus Præſul. Sed apertè, atque ingenuè confitendum iſthìc nobis: haud eos nos eſſe, ut digna narratione, tanti talísque Principis, præclara pro DEO ac Patria geſta perſequamur. admiratione obſtupefactus hæſit orbis terrarum ad famam Ungari Archi-Epiſcopi; prodigióque Romæ fuit: hominem unum, tanta potuiſſe! itaque preſſis ſilentio infinitis alijs virtutibus, quibus Eccleſiam, Regnúmque ſuum magnopere illuſtravit; ea duntaxat verbis adſtringemus, quæ, inauditâ prorſus beneficentiâ, nomini ſuo, his in terris ſtatuit monumenta. immane quantum hia- 72. Georg. Szecsényi pub. Beneficia.

bant Strigonij, Budæque mœnia, Orientis pariter & Occidentis ferro afflicta; quò reſtitui in integrum poſſint, plura Rhenenſium millia, præſentem numerat pecuniam. Errabat per Urbes, pérque Oppida, deſertus à membris, ab fortunis, caſtrísque exulare juſſus miles; nec, ad quod diverteret, hoſpitium patebat. miſertus vicem illam fortiſſimorum Virorum Antiſtes Georgius, prægrandia Peſtini, & Poſonij conſtituit domicilia, trigintáque ſeptem, ſupra trecenta omnino Rhenenſium millia dat; de quorum fructu alantur, veſtiantúrque bellatores: quos aut devexa ætas ad quietem damnavit, aut vim ademit pugnandi inimicus mucro. Turcica exhauriebant bella Leopoldi ærarium; levat illud ſemper, recreátque manus Szecséniana: ſimul morbum Imperator patefacit, ſimul opem ſentit. Porrò in ijs, quæ cultum Divinum propius accedunt, humanas propemodum ultra vires Liberalitas Georgij ſeſe extulit: Seminarium S. Stephani Reg. inſtauravit Clero Tirnaviæ; (a) 1689. (b) 1687. (a) novum, illúdque numeroſum condidit Budæ. (b) Quaternos Adoleſcentibus Ungaris fundavit Convi- (c) 1684. (d) 1687. (e) 1694. (f) 1694. ctus: Jaurinenſem, (c) Budenſem (d) Leuthovienſem, (e) & Trencſinienſem (f). Gymnaſia ijsdem erudiendis ſenis in Urbibus aperuit, totidémque Col- (g) 1654. legia Societati JESU exædificavit; Jaurini (g) Gyn- (h) 1684. (i) 1687. ſij, (h) Budæ, qua in Ungariæ Metropoli, diſciplinarum omnium Academiam inſtituit (i) Strigonij in (k) 1687. (l) 1689. (m) 1694. Urbe Archi-Epiſcopali, (k) Agriæ deinde (l) ac demum Quinque Eccleſijs (m) Septena eodem Fundatore Religioſis alijs exſurrexêre ædificia: Sûmegini, & Strigonij Franciſcanis; Vasvarini Dominicanis; Budæ Capucinis; Agriæ Servitis; Ovarini Paulanis; Illaviæ Ordini SS. Trinitatis. Octo præterea Monaſteria partim vetuſtate attrita, partim injuria temporum miſerijs perdita, renovavit, auxit, opulentiora fecit: Seraphicorum reformatorum Szécsénij; Conventualium Windpaſſingij; Paulinorum Noſtre;

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

Noſtre; Fratrum Miſericordiæ Poſonij; Urſulinarum ibidem, & Clariſſarum; harum & Tirnaviæ; denique Kismartonij Auguſtinianarum. Novem itaque ac viginti cenſentur Domus in Ungaria, quarum educator audit atque altor Georgius Szecsénius; cujus immortali gloriæ tot quottidie vota, precésque nuncupantur, quot de opibus ejus religiosè convivantur.

Unde autem tanta argenti, auríque vis penes Antiſtitem unum? non ille ſubjectorum bona compilavit; quin tributa ſæpe remiſit; adjecit etiam de ſuo, quò calamitate oppreſſos reficeret. Aula illi atque menſa, etſi homini per ſe frugaliſſimo, tamen quæ Principem deceat, nec Pontificem tantum abhorreat. Clientelæ inſuper nobiles, ornatæ, ſplendidæ. par ratio palatiorum, atque veſtium. nullæ uſpiam ſordes; infra dignitatem, majeſtatémque ſacram nihil. honeſtiſſimis igitur artibus partæ illæ fortunæ. at quibus illis? non attinet quidem viam parandi pecunias præmonſtrare; juverit nihilominus ad perennem clariſſimi Viri memoriam paucis commemorare quædam, quò poſteritas intelligat: cum ſumma authoritate, morúmque integritate poſſe conjungi ſummas divitias, modúmque reperiri ſanctiſſimum effusè opibus affluendi. ergo primùm dati, acceptíque rationes per ſe ipſe rimabatur; annos conferebat cum annis; unde detrimenta? emolumenta item? perattentus diſquirebat. nec indignum cuipiam iſtud videatur: patrimonio Chriſti Præpoſitos oportet eſſe longè vigilantiſſimos. nos noſtra ſervis credimus; ſua nobis Chriſtus. vel ſolertiſſimis damnum fortunæ bona faciunt interdum; negligentibus ſemper. miſerum eſt commodatis uti manibus; alienis intueri omnia oculis & verò periculoſum. erunt fortaſſe, quibus tutò tua confidas; quibus tutiſſimè, præter te, nemo. Alterum ſolenne habuit: minima haud minimi facere. magna hinc incrementa, decrementáque in re

Modus divitias comparandi innocenter.

omni, in familiari maxima. quantus, Superi! Oceanus eſt; & quid ille? minuſcularum congeries eſt guttarum. tolle has; maria omnia ſiccâſti. Deinde, quidquid inferebatur æris, id in cuſtodiam Domini dabatur. res fluxa, volubilísque, nummus; multas jactatus per manus facilè elabitur; in angulum abditur; quem excutias, nec invenias. Secundùm hæc, diligenti providentia optimos quoſque in clientes legebat; cenſebátque ab obſequijs, qui ſufficerent; non, qui abundarent. adulatores inſulſi, fabularum architecti, & id genus fex ultima mortalium; fuci ſunt aularum, labes nominis, gravitatísque Pontificiæ. Cavit ad extremum multo ſupra, ac dici poſſit, inanem illum ſplendorem, ac apparatum: qui varietate equorum; multitudine canum; vana circuítione; alearum, pictarúmque chartarum ludo; & affinibus horum haud ſatìs compoſiti animi ſignificationibus definiuntur. quæ ſervantur, atque amantur nullo prorſus operæ precio; magna etiam famæ, honoris, fortunarúmque imminutione. Gloria & magnificentia Eccleſiæ Catholicæ in virtute potiſſimum ſita eſt, atque conſtituta: illa per ſeſe ſplendet, lucétque ſemper; illa oculos, oráque hominum in ſe convertit; nec amplum quidquam, aut admirabile eſt, quod extra virtutem eſt. Georgius Szecſénius ſuas Pontificis Strigonienſis partes affatim expleviſſe rebatur, ſi moderatum inter Aulæ cultum, ſumma virtus regnaret, Hìc ſermonem terminemus, quódve caput rei eſt, dicamus: ad maximas pecunias, effuſione maxima in res Divinas Præſul ille pervenit. fœneratur immenſo commodo beneficium, qui causâ Cœli facit; túmque accumulantur opes, dum in ſinum pietatis profunduntur.

Card. Leopol. Kolonics. Leopoldus Kolonicſius communi populorum acclamatione Pater Pauperum dictus, ingens & ipſe à liberali manu conſecutus eſt nomen. exſtant munificentiæ illius argumenta in Bohemia, Moravia, Auſtria,

ſtria, Sclavonia; ſed præſertim in Patria ſua Ungaria: Tirnavienſem Typographiam diu, multúmque opis indigam, incredibili Reipub. litterariæ bono, provexit adeò, paucas ut ſibi pares, exteris etiam in Provincijs, conſpiciat; earundem litterarum alumnos vehementer fovit tum hoc ipſo in loco; tum in regionibus, quarum paullo antè meminimus: alibi illis domicilia reſtituit, alibi auxit, de integro alibi excitavit. ratus: nuſquam ſe fidelius operam bono publico navaturum, quàm ſi ad rectam Juvenum incumberet inſtitutionem; à qua fermè una, ſalus pendet Regnorum, vel interitus. Quanto Fidei Orthodoxæ propagandæ ardebat deſiderio, luculenta Poſonij dedit exempla: quæ æterna fore ſperabant adverſarij, ſubmovit Urbe Lutheri ſacra, ínque ſuburbanum compegit horreum; conſecravit Mundi Salvatori templum illud; addidit, quod excubias ageret pro Domo DEI, Collegium Societatis JESU An. Milleſ. ſexcent. nonageſ. octavo. locupletavit ejusdem Ordinis Filios Eperieſini; & natali in ſolo Comaromij; támque in oculis, animóque circumferebat Jeſuitas, quàm oderat Catholicæ veritatis inimicos. quos tamen, pro eximia ſua vel in perditiſſimos charitate, vijs quibus poterat omnibus ab peſtiferis aberrationibus revocare enitebatur; súntque plura mortalium millia, quibus ſaluti fuit Koloniciſij induſtria. In Tranſſilvaniam quoque Apoſtolicum iſtum ardorem transmiſit; útque Valachi, gens Photio ex animo addicta, paratam ad omne obſequium voluntatem ac ſtudium deferrent Pontifici Rom. elaboravit; nec caſsâ operâ: jurârunt in Catholica dogmata * Epiſcopus nationis, & Sacerdotes; ultráque centum millia hominum cum vera religione ſunt reconciliati. Nihilo pro vindicanda ab Turcico jugo Ungaria deſudavit minus: fovit militem cura ſingulari, animos accendit voce & exemplo, magnam pecuniæ vim ab Innocentio XI. ad proſequenda bella impe-

* Ad Ann. 1698.

travit. Vixit, optimè de Orbe Christiano meritus Princeps, anno seculi decimi octavi septimo Viennæ; Posonij, quod supremis tabulis scripserat, ad S. Salvatoris, tumulo illatus est. quam ille ædem, vel à fatis, suis se ossibus prædixerat defensurum.

Christiani Augusti.

Card. Christiani Augusti è Ducibus Saxoniæ magna in Rempub. promerita deprædicat Urbs Ratisbonensium, apud quos medios inter labores vitam finijt milles. septing. vigesi. quinto. extollit Paulinus Ordo, cui Mariana in Valle ad Posonium Cœnobium reparavit, auxit, ornavit; commendat etiam Archi-Episcopale Tirnaviæ Palatium, ab eodem ampliatum, & incinctum. loquitur denique splendidus ille titulus S. R. I. Principis, qui Archi-Episcopis Strigonienſibus, ejusdem precibus datus est & meritis. qui cùm ingens de suo decus Tiaræ illi addidisset, noluit honorem esse temporarium; ut secuturi quoque amplius fulgerent, providit. nimirum ita magno illo naturæ genio comparatum est, ut Principes maximi haud dignos se se honoribus censeant, nisì cumulatioribus eosdem incrementis ad nepotes transmittant.

73. *Quot? & qui Episcopatus fundati à S. R. Stephano?*

Jam egredi ex arce, ínque vicina Strigonio loca cogitabat animus; cùm ecce in tantas salebras incidit, vix ut supersit, quô se expediat, modus. Archi-Episcopatum Strigonienſem à Stephano Rege sanctissimo diximus esse fundatum. atque hoc extra litem est: quoniam id clarissimis Silvestri II. Pontificis Rom. litteris consignatum habeamus. at verò cùm eædem litteræ generatim duntaxat atque universè reliquos Episcopatus contineant; haud facile dictu est: quot illi sint? deinde, qui? præsertim cùm & Authores ipsi, qui hac de re scripserunt, minimè inter se convenire videantur; immo nonnulli (bona cum gratia summorum Virorum dictum velim) à veritate deflectant; siqua rerum & temporum, quemadmodum oportet, ratio habeatur; utì exploratum erit

adver-

advertenti mentem ad ea, quæ modò ſubjicimus. Chartuitius Epiſcopus, qui res geſtas S. Stephani primus, multorum ſententiâ, juris publici fecit; ajt à Rege *Provinciam in decem Epiſcopatus diſtributam; quorum Metropolim & Magiſtram eſſe voluit Eccleſiam Strigonienſem.* (n) ex quibus haud intelligere eſt: utrum denos illos inter Epiſcopatus, & Strigonienſis cenſendus ſit Archi-Epiſcopatus? an potiùs undecimum efficiat numerum? Colocenſem deinceps memorat Chartuitius; ſpeciatim nullum præterea. Bonfinius vix plus lucis habet; &, qui his de fontibus ſua hauſêre, Laur. Surius, ac Joannes Tomcus in ſua *Regiæ ſanctitatis Illyricanæ Fœcunditate.* Melchior Inchoferus (o) hoc ordine nominat ſedes illas ſacras: Strigonienſem primùm Metropolim; tum Colocenſem Epiſcopatum; mox Agrienſem, Veſprimienſem, Vacienſem, Cſanadienſem; demum Sirmienſem, Varadienſem, Jaurinenſem, ac Quinque-Eccleſienſem. *qui denarium*, inquit ille, *numerum implevêre.* Subdit deinde: poſt Tranſſilvanos in ordinem redactos, ditionémque omnem Regi Ungaro ſubjectam, Colocenſem Epiſcopatum alteram in Metropolim evectum. Nitrienſem pariter S. Regis opus eſſe dicit vel novum; aut ſi ea ſibi conſtant, quorum ſupra (p) meminit; renovatum. Tranſſilvanienſem, ſive Albæ Juliæ Epiſcopatum ejuſdem pijſſimi Monarchæ munificentiâ refert fundatum An. MIII. quæ òmnia in unum collecta, duodenarium componunt numerum; & Divum Stephanum duorum Archi-Epiſcopatuum, decem autem Epiſcopatuum faciunt Parentem. eâdem cum Inchofero ſententiâ eſt Author *Mauſolei Regum Apoſtolici Regni*, (q) quamvis illorum duntaxat nomina ponat, horum tacet. Martinus Szent-Iványius, qui his de rebus inter poſtremos, ísque diligentiſſimus ſcripſit, (r) *Præter Archi-Epiſcopatum Strigonienſem, decem alios à S. illo Rege, deſignatos in Ungaria* refert *Epiſcopatus* hac ſerie: Colocenſem, Agrienſem, Veſprimienſem,

(n) *Chartuitius in vita S. Steph.*

Bonfinius.

Surius. Joan. Tomcus.

(o) *Inchofer in Ann. Ecc. Reg. Ungar. ad An. 1000.*

(p) *Ad An. C. 880.*

(q) *Mauſoleum Reg. Ap. Regum In S. Steph. Sz. Iványi*

(r) *Dec. 3. par. 1. Cat. 11.*

Vacienſem, & Cſanadienſem; tum ſubjungit: Sirmienſem, Bacſienſem, Jaurinenſem, Tranſſilvanienſem, ac Quinque-Eccleſienſem. alio tamen in loco (s) duodecim affirmat à Stephano fundatos Epiſcopatus; nullos autem exprimit ſigillatim. hæc apud illos de Epiſcopatibus. de quibus Chronologi noſtri pauca, & illa jejunè.

(s) Diſſ. 2. in Annotat. §. 3.

74. Difficultates quædam de dictis Epiſ.

Atenim fas mihi fuerit percontari quædam ex Scriptoribus paullo antè memoratis. & primùm quidem: qua tandem ratione Vacienſem Epiſcopatum Stephanus fundavit? exſtitítne Vacia Urbs ætate Regis Stephani? ſi ita; quomodo igitur poſt octo & triginta annos ab obitu Stephani Vacia conditur per Geysam I. in perenne de hoſtibus relatæ victoriæ monumentum? quod omnes ad unum teſtantur Hiſtorici, & ipſe Szent-Iványius affirmat, (t) ubi origines dat Urbium Ungariæ; quaternísque inſuper annis, quàm nos, poſteriorem facit. Jam ſi ne tenue Civitatis illius id temporis exſtiterit veſtigium; quî ſilvas inter & inhoſpita ſaxa collocari potuit ſedes Epiſcopalis? Itaque concedamus, nullâ Stephani injuriâ, magnâ etiam veri, ſinceríque gloriâ, Geyſæ & Ladislao ſanctiſſimis Fratribus & Regibus Epiſcopatum Vacienſem: Geyſa, quò honorem loco haberet triumphis, prodigiísque illuſtrato; Urbis, ac ne quid ad majeſtatem deeſſet, etiam Epiſcopij fundamenta jecit. Ladislaus, ſublato præpropera morte germano, fratris memor & religionis, cæpta feliciter, ad faſtigium feliciſſimè perduxit, & coronavit. Idem eſt de Varadinenſi Epiſcopatu; nam & locus ille longo poſt primum Regem tempore coli cepit, ac habitari. quocirca jure hìc Inchoferum Szent-Iványius correxit, ínque locum Varadinenſis Bacſienſem ſubſtituit. Quid porrò de Sirmienſi dicam? nodus mihi iſthìc ſpiſſus & implicatus. Sirmium, continentésque terræ, pars Sclavoniæ ſunt. Sclavonia non ante Divum Ladislaum; aut, quod alijs vero propius vide-

(t). Catalogo 8.

videtur, Colomanum, Ungariæ paruit. quid ergo? unum, neceſſe eſt, concludamus: aut alieno in ſolo Epiſcopatum à Stephano poſitum, intempeſtiva omnino charitate ſuos exteris poſthabente. aut in plagam Sirmienſem, hoc eſt, nobiliſſimam Sclavoniæ portionem, Ungaros dominatos: æquo ferente animo peregrinam poteſtatem Sclavo Rege; nec, per inertiam, quidquam contra audente. aut demum Regis primi beneficium non fuiſſe Epiſcopatum illum. Emericus, inquies, Stephani Sancti, Sanctus Filius, Dux Sclavorum fuit. lego iſtud in Joanne Tomco (u) inter Divos Illyriæ populares; verùm quô id jure? belli, an pacis? ſanguinis, an affinitatis? donationis, an emptionis? non lego. authoritatem, quæ à dignitate ſcribentis eſt, venerari poſſum, & mutua inter homines neceſſitudo poſtulat; quæ à ſcriptis eſt, nisì illa ſuis nitantur momentis, nec poſſum, nec rationes admittunt Hiſtoriarum. atque hoc dictum velim ſemel, ne ſemper.

(u) *in vita S. Emer.*

Ceterùm miſſis nunc amplioribus controverſijs, exiſtimo ego: denos tantummodo Epiſcopatus per Sanctum Regem Stephanum fuiſſe conſtitutos, atque erectos. Tria potiſſimum ſunt, quæ magnopere iſthìc fidem faciunt. Primum: quoniam præter decem, cenſeri poterunt nulli; nisì perturbes, ac convellas Reges, ætates, loca, tempora. Alterum eſt: perpetua ac conſtans, & quaſi per manus tradita, de decem Epiſcopatibus primi Regis pietate fundatis, populi Ungarici opinio; aut potiùs ſenſus firmiſſimus, ac veluti quædam religioſa obſtinatio. ita namque nos noſtris ex Parentibus audivimus; hi porrò ſuis à progenitoribus acceperunt; iſti rurſum à ſuis; atque ſic ab alijs alij habent; donec perpetuam hanc ſeriem terminent ij, qui oculis geſta uſurpârunt; quæ non libris, ſed fideli memoriæ mandata, diligens Majorum narratio ad poſteros transmiſit. quo quidem in genere argumenti tantum ponderis ineſt,

75. *Decem Epiſ. fundavit S. Steph.*

nullius ut illud queat authoritas elevare: aliter divina perinde atque humana plurima, in fabulas tandem desinent, & vulgi risum. nec est, ut quis adversùs eat: quòd istiusmodi narratiunculæ tantò fermè plus vitij contrahant, quantò diutius pérque ora plurium divagantur. quemadmodum & aquæ, ubi longius procurrerint, non omnino puræ & illimes sunt, utì in fonte. Ita quidem levioribus in rebus cadere interdum, facilè concesserim; in gravissimis, præsertim sacris, nunquam certè: tenacior quippe horum recordatio, & reverentia solet esse longè maxima. maleficium, quod homines atrocius detestentur, est nullum; quàm Divinis addere quidpiam per impudens mendacium, aut surripere. Tertium, quô ad habendam fidem adducor, est Chartuitij supra memorati (x) scriptio. Scripsit is sexaginta, ad summum septuaginta annis post mortem Divi Regis, jussu Colomani ea tempestate rerum in Ungaria potientis: quo sanè tempore recens florebat memoria Stephani beneficiorum. aderant adhæc luculenta actorum testimonia partim ab Colomano ipso Rege, partim ab Episcopis; nec dubium mihi est, etiamnum vixisse quosdam, qui Stephanum, & gesta ab eo, oculis excepêre. his indicibus usus Chartuitius, materiam scribendi nactus est nævi omnis expertem. utinam omisso illo vitæ breviario, fusior scripsisset; nec, singularia multa, eáque memoratu dignissima, posteritatem celâsset! Jam autem Chartuitij locutio, licet in speciem subobscura fuerit; tamen quod in denario illo Episcopatuum numero, etiam Strigoniensem incluserit, clarum fit: tum ex rationibus, quas geminas prædiximus; tum ex modo loquendi; quemadmodum enim cùm dicimus: septem in Græcia vixisse Sapientes, quorum facilè princeps Solon habebatur; Solonem utique octavum non creamus Sapientem, sed veluti septem illorum præcipuum nominamus. ita Chartuitius Strigoniensem Sedem extra

(x) N. 73.

tra decem alias non collocavit; sed tanquam caput aliarum, atque adeo Metropolim scripsit.

Expedita utcunque quæstione molestissima; re- 76. *Sequentes.*
stat, nomina censeamus Episcopatuum, qui Stephano gloriantur Fundatore. adderemus isthìc certos quoque erectionis singulorum annos, si ad manus essent. unum ac alterum habemus, plures desideramus. ne nihil agamus tamen, quod in tanta rerum caligine fas sit, cæcorum ad instar contrectatione periclitabimur potiùs quidpiam, non rem ipsam commonstrabimus. Itaque decretos initio existimamus Episcopatus quosdam ad An. nonum supra nongentesimum nonagesimum: hac enim ratione, ac vix alia, idoneum tribuemus tempus & consultationibus regijs de re gravissimi momenti; & itineri Legatorum ad Rom. Pontificem; & in Urbe commorationi. Silvestri ad Regem litteræ signatæ sunt vigesima septima Martij Anno Christi Millesimo. oportuit igitur Legatos Ungariæ inchoante Martio, aut Februario exeunte Romam perveniſſe: adeóque in viam se se dedisse ipso anni exordio; aut quod vero similius est, anno proximè superiori in finem vergente; nisì præcipitari malis omnia, rerúmque intervalla ac temporum insuper habere. Ergo dum Episcopia designantur, rudis simul Diœceseωn imagines scribuntur; efformandæ deinceps, ubi Romanum preces Stephani probaverit oraculum. jam verò Anno eodem Nongentesimo nonagesimo nono. par est credere, ere- *Ann.* 999. *Strigonienſ.* *Colocenſ.* *Agrienſ.* *Besprim.*
ctos pariter: Archi-Episcopatum Strigonienſem, Episcopatum Colocenſem, Agrienſem, Besprimienſem denique. de primis, non reliquit dubio locum responsio Apostolica: quæ Strigonienſem Sedem, Metropolim pronuntiat; Colocenſem autem Præsulem Astricum nominat. verùm & pro Agria facit, quòd hoc ipso tempore eam coluisse Stephanus magnopere, & ædificijs ornâsse feratur; & pro Besprimio ea, quæ supra memoravimus, (x) dum Provinciam ejus no- (x) *vide N.* 23.

minis ſcriberemus. Eodem illo erectionis anno, nominatos arbitramur: pro Archi-Epiſcopo Strigonienſi Dominicum; Aſtricum pro Colocenſi; pro alijs alios. nominatos inquam, conſecratos non item: quis enim iſtud fecerit in Ungaria ea tempeſtate? quare haud incongruum erit dicere: perrexiſſe cum Aſtrico Romam, Beſprimienſem pariter dictum Præſulem, aut etiam alium aliquem; ſimúlque in Urbe omnes ſacris Pontificalibus initiatos; qui reduces deinde, ijsdem inſignibus alios ornarent. nec quidquam contrà facit; quòd unius Aſtrici duntaxat Silveſter meminerit: unum nominari conveniens dignitati erat, qui unus Legationis caput, & Princeps erat.

An. 1003. Tranſſilvan. Poſt conſtitutas quattuor illas Sedes Pontificias, erectam credimus Tranſſilvanienſem in Urbe Provinciæ primaria Albæ Juliæ MIII. debellato antè Gyula, rebúsque ſeditioſis pace compoſitis. Mox ubi Bulgarorum quoque vires infregiſſet Stephanus, po-

An. 1005. Bachienſ. titus ingenti præda, Bachienſem condit Epiſcopatum Annum circiter MV. quæ omnia propius fidem ſunt vel ideo, quòd Rex Sanctiſſimus poſt relatas victorias nihil antiquius duxerit: quàm DEO triumphorum Authori gratiam habere; quóve beneficij accepti memoria nunquam intercideret, manſuris in ævum monumentis elaborare. triumphos & ſpolia procurabat in Cœlis pro honore Stephani Deus; Baſilicas & Sacerdotia excitabat in terris pro gloria DEI Stephanus. uterque certus affectu pugnare, neuter cedere.

An. 1009. Quinque-Eccleſ. Anno MIX. Quinque-Eccleſiæ ſuum accepêre Epiſcopum Benipertum, ſive Boniportum; quemadmodum regiæ Stephani litteræ planum faciunt. in quibus, ſuis Diœceſis univerſa definitur limitibus.

An. circ. 1030. Jaurinenſ. De initijs Epiſcopatus Jaurinenſis haud mihi integrum eſt, certi ut quidpiam dicam; exiſtimo autem Annum circiter MXXX. aut continuò inſequenti,

nata-

natalem habuisse: his in plagis, atque anno illo celebrem de Conrado Imperatore retulerat victoriam Stephanus, Cœlo ipso ab Ungarorum partibus depugnante. quamobrem adduci non possum, ut credam: tumulatam voluisse Regem Sanctissimum tanti, támque eximij favoris recordationem; immo verò nisu omni contendebat, sempiternum ut quodpiam opus apud posteros loqueretur: quàm cordi aliquando fuerit Superis Ungaria!

Csanadiensis Tyara ortum suum Anno MXXXVI. debet; quam primus S. Gerardus, magnus ille Antistes & Martyr jussu Stephani implevit. Denique & Nitriensem Episcopatum ejusdem S. Regis beneficium esse, ajo: tum quia florebat id temporis locus ille in primis, quem utpote regius Stephani sanguis, Ladislai Calvi filij, habitarent; tum quia Beztritus, seu ùt alij, Beztertus Nitriensium Antistes mortem, causâ Christi, oppetijsse legatur ad Ann. MXLVII. sub initium regni Andreæ I. turbatissimis autem Petri & Abæ Regum temporibus, sive erectum illum, sive restitutum, non est, unde affirmem. Nec quidquam facit scriptorum authoritas initia Episcopatûs istius in Annum à nato orbis Servatore Tercentesimum nonagesimum sextum; aut quemlibet alterum reicientium: quandoquidem furori barbaro cessêre illa omnia, ínque ultimam præcipitata sunt ruinam. ut adeò nova beneficia, novum oportet agnoscant Patronum; ejúsque se fateatur Parentis prolem Episcopatus Nitriensis, cui in acceptis refert, quòd revixerit. Esto igitur Fundatrix Frigedilda Moravorum Regina, aut quiscunque demum alter; at Fundator erit Stephanus quoque: illi debet, quòd fuerit; huic, quòd de integro sit. illud ad famam aliquam vetustatis facit; hoc ad fortunas hodiernæ vitæ. Idem dicendum venit de Episcopatu Agriensi; & si quæ alia sunt ejusdem generis. Major difficultas occurrit de Anno erectionis prædicti

An. 1036. Csanadiens.

An. circ. 1037. Nitriens.

Episcopatûs Nitriensis. arbitror ego: postremis Stephani temporibus, atque adeo MXXXVII. vel insequentis initio fundatum. argumento mihi potissimum est: quòd haud satìs bellè ad dignitatem Episcopalem sustinendam necessarijs opibus instructus fuisse videatur; quoniam secundùm Bezterti fata, Antistitem habuerit nullum; donec tandem An. MCLVII. Geysa II. ac subinde Ludovicus I. religionem primi Regis absolvissent,& quæ morte præventus haud poterat, bona fortunæ loco illi attribuissent, atque auxissent.

77. *An.* 1007. *Ep. Colocensis fit Archi-Episcopatus.*

Restat hìc Archi-Episcopatus quoque Colocensis exordia commemoremus; quæ quidem ad Annum MVII. referri possunt. regimen Ecclesiæ illius, quemadmodum suprà diximus, Astricus sive Anastasius, primus omnium Episcopus init, & prope quinquennium summa vigilantia gubernat; cùm ecce Sebastianus Strigonienſium Archi-Episcopus oculis capitur, impárque exequendo muneri redditur. Rex Principi Ecclesiæ consulturus, vices Sebastiani Astrico mandat. Probat factum Pontifex; & pallium Archi-Episcopale, petente Stephano, indulget Vicario. exacto mox triennio revertunt ad Sebastianum oculi; & ille ad pristinum munus; Astricus quoque in Colocensem Sedem. Jam verò homini tam bene de Regno, bene de Ecclesia merito, eripi pallium nuper oblatum haud poterat: ergo in Archi-Episcopatum Colocensis Episcopatus migrat, Ungaria universa summis precibus contendente, Roma justis desiderijs subscribente; præsertim cùm adjectâ nuper Transsilvaniâ, ea esset Imperij amplitudo, quæ duos minimum exposceret Archi-Episcopos. Ita, qui hac de re quidpiam scripsêre, Inchoferus, Lud. Thomassinus, Szentiványius; quamvis omnes annum taceant. Quanquam & illud, nec omnino malè, possit dici: quòd Astricus An. MV. nominatus fuerit Archi-Episcopus Colocensis. quò scilicet majori cum autho-

authoritate fungeretur Legatione, quam apud Henricum, Sanctum illum Imp. obibat, gratiâ matrimonij Stephanum inter & Gyselam contrahendi. facit huc & Inchoferus, qui hoc primùm Anno, eo illum insignit nomine; & Synodus Francofordiæ anno insequenti celebrata, quæ Astricum ab eodem Henrico invitatum, & præsentem, Archi-Episcopum pariter appellat. utì videre est apud Jacob. Græcerum ex Diethmaro lib. 6. Antiq. Cod. Vitæ Henr. Quo porrò tempore, quáve occasione, Colocensi huic junctus sit Bacsiensis, ne divinando quidem assequimur; extra tamen litem est: acta fuisse omnia è mente Pontificum, ádque Leges Apostolicas. Et hæ illæ Antistitum denæ Sedes sunt ab primo Rege fundatæ; quarum geminæ Archi-Episcopis, Episcopis octonæ gloriantur. afflictæ identidem quà intestinorum, quà externorum bellorum tempestatibus; barbarum adhæc jugum passæ; emori sæpius videbantur: verùm quæ DEI, Deique Matris, Magnæ Ungarorum Dominæ, perpetua suum in patrimonium est providentia, tot inter vicissitudines, vixêre hactenus, vivéntque deinceps. immo, dum hæc scribimus, restituta omni ex parte Repub. per Augustissimum Carolum Imp. & Regem nostrum, pollentes potentésque florent Ecclesiæ illæ omnes, sua defendente munera Divo Stephano; quem utì olim Fides Catholica egregium propagatorem habuit in terris, ita hodie glorioſum propugnatorem habet in Cœlis.

78. *Nullâ S. Regis injuriâ decem tantùm Ep. illi attribuuntur.*

Sed erit fortasse, qui isthìc me sacrilegij condemnet: quasi verò unum, atque alterum Episcopatum Stephano Fundatori surripuerim; aliísque, contrà ac Scriptores passim tradant, addixerim. at quæ ista est accusatio, satìs puto planum ijs erit, qui non occupati animo, quæ paullo antè memoravi, * secum reputârint. Authores illos quod attinet, errore lapsos ajo, & illo innocenti; fit enim: dum alij ex alijs exscribimus, excussa jam omnia per primos exi-

* *Vide N.* 74. & 75.

ſtimantes, in nævos pariter incidimus, Regnúmque erroribus firmamus, & longam hæreditatem. originem porrò res tota ducit ab veteri ac pervulgata fama, decem Epiſcopatuum Parentem S. Regem, loquente; jam autem cùm duos cenſeamus Archi-Epiſcopatus; conſentaneum fore arbitrabantur Scriptores, ſi dicerent: duodecim excitatas fuiſſe à Stephano Sedes ſacras; haud interea animadvertentes: binas iſtas Principes, non ſecus in denis illis contineri, ac caput in membris. Ceterùm quòd ſententiâ meâ minus reliquis Sanctiſſimi Regis liberalitati tribuam, uſque adeò in illam injurius non ſum, ut etiam confidam, per accuratiorem hanc veritatis inveſtigationem, gloriam ejusdem haud modicè auctum iri: certè falſa veris permixta, vel ipſis veris fidem adimunt; ſincera absque pigmentis, auctariiſque data, honorem conſequuntur, omnémque proborum acclamationem. Sed neque Divum illum apud Principem ficta narratio gratiam inibit: odit, dum viveret, inficetas fabulas; cœlis illatus, etiam execratur. magnis animis multum demitur, ſi quid præter juſtum adijcitur. Denique ſterilibus alienos ſupponimus partus; ſua fecundis per ſe ſufficit felicitas.

Et quis tandem tam hoſpes in orbe terrarum eſt; quis in rebus Eccleſiæ Catholicæ tam peregrinus; quem Stephani fugiat effuſa divinum in cultum liberalitas: ſileo hìc denos illos, de quibus hactenus, Epiſcopatus tanta fundatos munificentia; ut binis, ternísque nonnulli pares ſint Epiſcopatibus. ſanè de Strigonienſi quidem magnus ille Pazmannus non dubitavit aliquando pronunciare: quaternos ex uno illo, nec incommodè, conſtitui poſſe Epiſcopatus. mitto adhuc decem & duo prægrandia Clero excitata Collegia. Sexaginta illas Baſilicas nomino, quas incredibili magnificentia condidit, innumeris theſauris locupletavit. illa adfero trecenta Cœnobia ſuis cum Templis, immani ſumptu poſita, atque exornata; quo-

S. Stephani Reg. Liberalitas.

rum

rum aliqua Episcopatibus certant, veluti Pécs Varadiense B. Virginis, & in Monte Pannoniæ S. Martini. adde his ædes alias sacras; domicilia deinde alia Cleri ac Monachorum; hospitia etiam, religionis causâ proficiscentium, regia prorsus liberalitate constructa, perenníque censu stabilita, Romæ ac Ravennæ in Italia; Constantinopoli in Thracia; Hierosolymis in Palæstina. quæ omnia, atque multo plura, citra dubitationem ullam, largissimè benignissiméque per Stephanum acta, faciunt: ut omnino sit nihil, cur adulterina opus esset munificentiæ laude illi; qui tanta beneficentiæ suæ effusione plura exhausisset regna, nisi accumulatissimis largitionibus, quottidiana per prodigia, DEUS consuluisset.

Nunc si prolixissimæ huic manui, alienissimam ab nævis animi integritatem; traductos admirabili continentia juveniles annos; regnum triginta & octo annos summa æquitate ac providentia administratum; bella juxtà atque pacem eadem religione cultam; maximam in Rom. Pontificem observantiam; in Superos fidem ac fidelitatem incredibilem; accessionem denique ad sacra Catholica potentissimarum, nobilissimarúmque Ungariæ & Transsilvaniæ regionum præterea copulaveris; DEUS bone! quale, quantúmque in Rege uno exemplar virtutum exhibuisti. Procedant in medium, licet, Constantini, Theodosij, Justiniani, Pipini, Caroli, Otthones, seu quicunque alij Imperatores ac Monarchæ; à propagata, propugnatáque Christi Ecclesia; à vita, moribúsque ad divinas Leges, institutáque moderatis, magnum apud veteres nomen consecuti; parvi omnes ad Stephanum erunt, si primordia ætatis cum exitu, media cum utrísque compares. Lege Annales, excute Historias; certè reperies scelera, quæ tantorum Virorum præclarissimas pro Fide, cultúque DEI res gestas aut interruperunt, aut propemodum extinxerunt: alios siquidem furor, libido alios in transversum egit; inertia

Incomparabilis ejusdem Sanctimonia.

quosdam, iniquior quosdam gloriæ cupido obscuravit; denique ipsam nonnullorũ salutẽ, propensior in hæreticos voluntas, motáque interdum adversùs Ecclesiam arma, dubiam admodum apud posteros effecêre. In Stephano contrà non modò flagitium ullum, sed ne levem flagitij umbram invenisti. perpetua illi, constánsque pietas nulla unquam labe intercisa; quantúmque illi DEUS ad vivendum adjecit spatij, tantum ille ad ornandam DEI majestatem studij contulit, & incrementi. jure ut Ungaria una præter ceteras gentes omnes, suo in primo Rege gloriari possit; ínque laudes Omnipotentis illius dexteræ effusa, cùm ob fortunæ bona, tum præcipuè ob Stephanum suum, illud regium occinere: *Non fecit taliter omni nationi!* Psal. 147.

79. Silvestri P. Litteræ ad R. Steph.

Quod apertum atque perspicuum fit vel de litteris Silvestri II. Summi P. quarum quia mentionem semel, iterum, ac tertiò antè fecimus; nec ad manus omnibus sunt; visum est eas hìc loci ad verbum recitare.

SILVESTER EPISCOPUS
Servus Servorum DEI,
STEPHANO DUCI UNGARORUM
Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LEgati Nobilitatis Tuæ, in primis verò carissimus Confrater noster Astricus, Venerabilis Colocensis Episcopus, tanto majori cor nostrum lætitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt; quanto divinitus præmoniti, cupidissimo animo illorum adventum, de ignota nobis gente præstolabamur. Felix Legatio, quæ cœlesti prævenia nuncio, atque Angelico pertractata ministerio, prius DEI concluſa est decreto, quàm à Nobis audita fuisset. Verè non volentis, neque currentis, sed secundùm Apostolum, miserentis est DEI: qui, teste Daniele, mutat tempora, & ætates; transfert regna, atque constituit; revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris consti-

constituta; quia lux cum eo est: quæ, sicut docet Joannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primùm ergo gratias agimus DEO Patri, & Domino Nostro JESU Christo, qui temporibus nostris invenit sibi David Filium Geysæ, hominem secundùm cor suum, & luce irradiatum cœlesti suscitavit illum pascere Israel populum suum, electam gentem Ungarorum. Deinde laudamus pietatem sublimitatis Tuæ in DEUM, & reverentiam erga Sedem Apostolicam; cui, divina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio, præsidemus. Tum verò largitatem Liberalitatis, quâ B. Petro, Apostolorum Principi, Regnum ac Gentem, cujus Dux es, cunctáque Tua, ac Te ipsum per eosdem Legatos, & litteras perpetuùm obtulisti, digno præconio commendamus. Hoc enim facto egregio apertè testatus es, & re vera talem Te meritò esse demonstrâsti, qualem, ut Nos Te declarare dignaremur, studiosè expetivisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, ut quem tot, ac talia præclarè pro Christo gesta facinora, voce publica clamant, quémque DEUS ipse commendat, amplius commendemus. Quare Gloriose Fili, cuncta à Nobis, & Sede Apostolica expostulata; Diadema, noménque Regium, Strigoniensem Metropolim, & reliquos Episcopatus, de Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate, præmonente atque ita jubente eodem Omnipotente DEO, cum Apostolica & nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, & impertimur. Regnum quoque à Munificentia Tua S. Petro oblatum, Teque unà, ac Gentem & Nationem Ungaricam præsentem, & futuram, sub protectionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ acceptantes, Prudentiæ Tuæ, Hæredibus ac Legitimis Successoribus Tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus ac conferimus. Qui quidem Hæredes, ac Successores Tui quicunque, posteaquam per Optimates legitimè electi fuerint, teneantur similiter Nobis, & Successoribus nostris per se, vel per Legatos debitam obedientiam, ac reverentiam exhibere, séque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ subjectos non habet ut servos, sed ut Filios suscipit universos, subditos esse ostendere, atque in Catholica Fide, Christique Domini ac Salvatoris nostri religione firmiter perseverare, eandémque promovere. Et quia Nobilitas Tua Apostolorum gloriam æmulando, Apostolicum munus,

Christum prædicando, ejúsque Fidem propagando, gerere non est dedignata, Nostrásque & Sacerdotij vices supplere studuit, atque Apostolorum Principem præ ceteris singulariter honorare: idcirco & Nos singulari insuper privilegio Excellentiam Tuam, Tuorúmque meritorum intuitu, Hæredes ac Successores Tuos legitimos, qui sicut dictum est electi, atque à Sede Apostolica approbati fuerint, nunc, & perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; ut postquam Tu, & Illi Coronâ, quam mittimus, ritè juxta formulam Legatis Tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis, Crucem ante Te, Apostolatûs insigne, gestare facere possis & valeas, atque Illi possint valeántque: & secundùm quod Divina gratia Te, & Illos docuerit Ecclesias Regni Tui præsentes, & futuras, Nostra, ac Successorum nostrorum vice disponere atque ordinare, Apostolica authoritate similiter concessimus, volumus, & rogamus; sicut in aliis litteris, quas in communi ad Te, Optimatésque Regni, & cunctum fidelem populum, per nuncium nostrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, plenius hæc omnia explicata continentur. Oramus Omnipotentem DEUM, qui Te de utero Matris Tuæ vocavit nomine Tuo ad Regnum & Coronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum confectum per Nos fuerat, Tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum Justitiæ suæ, novellas plantas Regni Tui rore suæ benedictionis perfundat largiter; Regnum Tuum Tibi, Téque Regno servet incolumem; ab hostibus visibilibus, & invisibilibus protegat; ac post terreni Regni molestias, in Cœlesti Regno Corona adornet æterna. Datum Romæ VI. *Kal. April. Indictione* XIII.

Hactenus Pontificis litteræ; quas Anno M. scriptas ipsa Indictio exhibet, die nimirum XXVII. Martij, qui eo tempore incidit in Feriam quartam. ex quibus licet manifestò intelligere: quanta virtute primus Ungarorum Rex fuerit; quàm etiam cordi electam Ungarorum gentem DEUS habuerit; denique quanti precij Angelicum illud atque adeò Divinum Diadema sit; ad extremum, unde populo Ungarico suam in Coronam tanta, támque constans religio maneat, atque observantia. profectò tale aliquid de nullo unquam

quam Rege, de nulla unquam gente aut Hiſtorijs accepimus, aut narratione. Sed poſt tot diverticula aliquando tandem ad propoſitum iter revertamur.

Arci Strigonienſi, quæ ſuperioribus proximè annis, novum ſplendorem, novásque munitiones accepit, quatternæ adſtant Urbes, veluti pediſequæ Reginæ ſuæ. Occidentem versùs monti adjacet Urbs Archi-Epiſcopalis An. mill. ducenteſ. trigeſimo nono poſita. remotior altera, Libera Regiáque, ad Danubium extenditur. ſunt illis ædificia non inelegantia, populus copioſus. tertia monti S. Thomæ inſidet, quam olim Capitulum Strigonienſe implebat; probè & illa munita, & defendendæ Arci fuit peroportuna. poſtrema in plano eſt Civitas S. Georgij. Tabulæ Geographicæ hac in regione etiam Viſſegradum ponunt. ego illud Budæ adjeci, ne regiam à regia ſepararem. huc pariter ſpectant: Batorkeſzinum, Balna olim nobile oppidum, & ſuis tumulata ruderibus Parkanyenſis munitio. Supremorum Comitum dignitas ſemper penes illum reſidet, quem princeps Ungariæ ornat Infula. 80. *Urbes & alia loca.* *Supremus Comes.*

Ternæ Strigonienſibus ſunt Præpoſituræ: S. Stephani Proto-Martyris in Arce, beneficio Sigismundi Regis & Joann. Kaniſai Archi-Epiſ. gaudet, ab Ann. milleſ. tercenteſ. nonageſimo primo. S. Thomæ cognominem ſibi urbem habet. pariter & tertia S. Georgij de Viridi Campo. Porrò Demeſienſis Præpoſitura mille paſſus diſcedit à Strigonio, ínque ſilvas ſe recondit. opus undique fuit regium, annum circiter milleſ. centeſim. undecimum ab Almo Duce Geyſæ II. Filio, Belæ II. genitore conſtructum. Bela IV. alter ille Ungariæ conditor redux ab exilio ædem poſuit B. V. Auxiliatrici ſuæ in Urbe Regia, de qua ſupra, An. MCCL. cui addidit FF. Minores. ijdem ad Divum Ladislaum habitabant in Archi-Epiſcopali Civitate; Dominicani ad S. Martinum; ad S. Annam Auguſtiniani; Templarij ad radicem Arcis. 81. *Loca Sacra.*

Hodie in Regia Seraphici sunt; ijdem in Archi-Episcopali, & Jesuitæ.

Lingua. Idioma Provinciæ gentile est plerisque; loquuntur & Germanicum nonnulli, & Sclavonicum alij: nam mixtio populorum, & linguas miscuit.

82. *Jaurinensis Comitatus.* Jaurinensium regio non tam spatijs ampla, quàm secundiore fama, diffusa ubique gentium est, & magna. quis enim superiorum ætatum Historiam scripsit, qui Jaurinum non commendavit? ab Urbe hac plagæ toti nomen venit.

Urbs. Urbs porrò Jaurinum unde denominationem trahat, non sum, qui divinem. perquam vetustum esse satis declarat, quòd & Romanis habitatum sit; & Carolo Mag. visum. Ut forte, invictúmque facerent, ars & natura ingenio laboravêre: ternos hæc adduxit fluvios Rabam, Rabczam, denique Danubium, quibus circumdaretur; illa muros latissimos, propugnacula vastissima, omnémque arcendo hosti struxit munitionem, quâ protegeretur. ut adeò apud plures, jure quàm optimo, Clavis audiat Romani Imperij. Præsidium istud nobilissimum ad Episcopium exædificari cæptum, ipsum deinde etiam incluſit, Urbémque transtulit: vetus enim Jaurinum id loci protendebatur, ubi hodie vita excedentes conduntur. ut adeò quæ olim vivorum, nunc Civitas appellari possit mortuorum. Initia autem tanti operis, ego quidem ad Belæ IV. tempora refero, qui secundùm Tartaricas depopulationes, in id unicè intendebat, quò secura hostium loca aut erigeret, aut ampliùs firmaret. accessit cura perdiligens Elisabethæ Alberti Viduæ, quæ isthìc spes reponebat suas; tum operæ Ferdinandi I. ac Maximiliani II. Jam autem Urbs una ex cultioribus Ungariæ habetur: nam præter copiosas, eásque haud inelegantes domos, complectitur D. Seraphici ædem amplissimam cum Templo, beneficio Civium excitatam. incolunt eam & Jesuitæ ad S. Ignatij, quibus Fundator est Ferdinandus II. Sanctus ille

Imp.

Imp. tum Georgius Szécsénius dum esset Urbis Præsul. hunc eundem Parentem veneratur Juventus Nobilis in Convictu. adjecit Collegio Societatis Jesu alter Szécsénius Paulus subinde Archi-Episcopus Colocensis ludum litterarium; quem modò excolit ac ornat munificentia Ladislai Nadasdij Antistitis Csanadiensis. Ingressi Jaurinum sunt & Carmelitæ An. seculi proximè superioris nonagesimo octavo; & Sociæ Divæ Ursulæ Annis abhinc * tribus. has pia Neupauerianæ Viduæ liberalitas intulit; illos laudatus supra Szécsénius, & Michaël Dvornikovich Episcopus Vaciensis induxêre.

* An. 1726.

Adjacet Jaurino grande suburbium, quod utì nomen, ita speciem præse fert novæ Civitatis. alterum aquis ferè incingitur. tertium supra ripam Istri excubat. Ad Provinciam hanc refertur & Arx Csesznekiensis culta & munita; & Hedervariensis magnorum quondam altrix Virorum.

Loca alia.

Occidentaliorem Urbis Jaurinensis partem Episcopium facit. Fundatorem colit D. Stephanum * Regem. Cathedrale Templum perquam vetustum Virgini in Cœlos assumptæ sacrum est. ab hoc Danubialem versùs portam platea Canonicorum decurrit; qui etiam Seminarium Juvenis Cleri gubernant. Numerus Episcoporum levibus operis haud definiri potest: qui Desiderio Antistiti primas dant, quattuor ultra & triginta annos eundē Ecclesiæ huic præfuisse, oportet, fateantur; siquidem tempora cum temporibus conferre velint; vitámque, si non supra, certè ad septem & octuaginta annos produxisse: ereptus quippe est vitæ & Archi-Episcopatui Strigonienſi Ann. millesimo octuagesimo quarto exeunte. jam autem septuagesimo quinto Colocensi * præfuit Ecclesiæ. itaque si trigesimo Jaurinensem adeptus est Insulam, idonea ad hanc dignitatem ætate præditus; ea, quæ prædiximus, confecimus omnia. atque hæc intra verum possunt consistere; nec eripiendum Desiderio primatum

83. Episcopatus Jaurinensis.

* Vide supra N. 76.

* Ex Instrum. Fundationis Abb. S. Bened. ad Granum.

esse ajo, dum certiora quis non attulerit testimonia. Hìc ad alia: Episcopatus Jaurinensis quatternos, si modernum addideris, censet in suis Romanâ effulgentes purpurâ. qui Archi-Episcopali ornati fuêre mytra, octonos. multi multis sponsam suam affecêre muneribus; dignus memoriâ Demetrius Napragius, qui præter multam argenti, auríve vim, etiam sacrum D. Ladislai Regis Caput, Basilicæ illi Marianæ, donum dedit. Nicolaus deinde Dallos, qui vallum adversùs sectarios opposuit, dum Jaurinum Societatem JESU
*An. 1626. * induxit. Philippus demum Card. Sinzendorffius Præsul hodiernus, qui Typographiâ Urbem suam il-
Sup. Com. lustravit. plura addere non vacat. Supremus Comitatûs hujus Comes, idem est, qui Episcopus.

24. Loca Sacra. S. Mons Pannoniæ. Sanctiora inter Ungariæ totius loca, utì vetustissimum, ita sanctissimum est Magni Benedicti domicilium in Sacro Pannoniæ Monte, à Geysa Duce, honoribus Divi Martini ante Millesimum Annum inchoatum, à Sancto Stephano Rege ac Filio An. MII. perfectum, plurimis fortunæ bonis cumulatũ, muneribus excultũ, privilegijs ditatum. Atque hæc illa illustrissima Domus est: in qua primùm in Ungaria, apertâ litterarum palæstrâ, auditæ sunt Musæ patriæ Latinum loqui; ex qua, velut è Seminario quodam diviniore, ad gubernandum Ecclesiarum clavum, transferebantur Præsules; in qua formabantur Apostoli, crescebant Martyres, exercebantur Doctores, vivebant Sancti. quæ decora exstant etiamnum in monte illo; nec tot seculorum vicissitudines calamitosissimæ potuêre in locum tantùm, veteri ut illum religioni eriperent. immo augetur in dies numero, doctrina, virtute. Fuit initio Abbatia, tum dicta est Archi-Abbatia, plurésque ejus Pater habet sub se Abbates.

*Ad An. 1221. Fuit olim Jaurini celebre quoque PP. Dominicanorum Monasterium, & illud in Regno nostro Ordinis primum; cujus fundamenta * B. Paulus Ungarus, qui primus itidem hac ex gente institutum hoc

am-

amplexus est, jecit. quod deinceps Viri Sanctimonia insignes coluêre; quos inter Mauritius & Carolus Csakij utì sanguine, ita vita magni excelluerunt, nomen uterque Beati, adepti.

Jaurinensis Comitatus Ungaricè loquitur. in Urbe Ungara cum Germana Lingua pari jure dominantur. *Linguæ.*

Terris Comaromiensibus nobile ac amplum Oppidum nomen dedit; ipsum autem, si Bonfinio fides, à Comaris Scythiæ populis, appellatur. Situm est ad angulum Insulæ Danubialis, ubi Vago permiscetur Ister. A temporibus Mathiæ Regis glorioſissimi magnis excrevit incrementis, multísque mortalium millibus habitatur; quod vel indè conijcere est: quòd cùm superiorum * Annorum pestilentia ad duodena incolarum millia eripuisset; tamen perinde frequens, multúsque apparuit populus, ac si à malo illo detrimenti Civitas accepisset nihil. Est loco huic Arx fortissima; & si martialem spectes virtutem, Ungaricarum facilè prima: quæ utpote nullius unquam hostis tulit jugum. vallant illam aquæ, muri, propugnacula. hæc Ferdinandus I. illos apposuit Mathias Corvinus. novam denique adjecit Arcem Leopoldus M. Adde laudum cumulo & Regem Ladislaum Posthumum, & Cardinalem Leopol. Kolonicsium Comaromij natos; & arborem ex fructibus metire. adde longiorem isthìc Innocentij XI. P. M. commorationem, dum adolescentior castrensibus stipendijs imbueretur; & sancta vestigia oſculo venerêre. Oppidum alterum plagæ istius cum arce est Tata, tertium Gutta. Castella habent Marczalhazienses, & cultissimum Gyallenses. Munere Supremi Comitis hodie Josephus Esterhazius fungitur, cui Dominium Tatense paret. 85. Comaromiensis Comitatus. *Oppida, Arces, Castella.* * *An.* 1710. *Sup. Com.*

Qui olim in hocce Comitatu, quibúsve in locis, Religiosi habitavêre, mihi nondum compertum. illud novi: celebrem fuisse Abbatiam Benedictinæ Fa- 86. *Loca Sacra.*

miliæ à Theodato Comite Bohemo Tatæ eductam, ac honoribus Apoſtolorum Petri & Pauli conſecratam. hic idem creditur & Oppidi eſſe Fundator, illúdque nomen loco impoſuiſſe: quòd à S. Stephano, quem ex lavacro ſuſceperat, *Tata* nominaretur. eadem tenebat locum, cui nomen Monoſtor. Hac tempeſtate Comaromium habet Franciſcanos, Jeſuitas Comitum ab Althann beneficio inductos, tum Trinitarios; illi Templo, poſteriores bini ſuis gaudent ſacellis. Sunt Civitati duo præterea ſana, S. Chryſoſtomi Germanorum, S. Andreæ Ungarorum. habent & Raſciani odeum ſuum, & militare præſidium ſuum.

87. *Lingua.* Lingua Comitatui Ungarica eſt. Oppidum Princeps plures loquitur: quia plures ſinu colligit diverſarum nationum populos, loci & bonitate & commoditate allectos. hìc Ungariæ Occidentali finem ponimus; in qua, quia plura fecimus diverticula, fortaſſe æquo tardiores traximus moras, oleúmque peſſum ac operam dedimus. at enim ſi qui juxtà nobiſcum cogitaverint: multa nos debere primæ Religionum ſedi, multa Regibus noſtris, multa veritati; non erit, unde metuamus digreſſiones hujusmodi à quoquam, ceu jacturam temporis, damnatum iri: neque enim malè perditur, quod cultui divino, honori alieno, veríque indagandi ſtudio ritè impenditur.

§. III. *Ungariæ Meridionalis Comitatus.* Baranyenſis. Meridionaliorem Ungariæ partem Baranyenſis inchoat Provincia, ab Arce Baranya, veteribus celebri, ſic dicta. Caput Regionis totius eſt Urbs Epiſcopalis Quinque-Eccleſiæ, quæ montis Merzek partem premunt, cetera in planum diffunduntur. Locus à ſitûs amœnitate, ædium cultura, populi frequentia, ſingulari vicorum munditie, litterarum ſtudijs, antequam Turcam Ungaria nôſſet, aut par primis Urbibus, aut certè proximus fuit. Tempore hoc reparatis magnam partem barbaricis ruinis nitida ſatis Civitas eſt, & ædificijs impleta. Diſputant de nomine: alij à quinque Eccleſijs circum in vicinia ſitis de-

88. *Oppida, Arces, Caſtella.*

du-

ducunt ; alij , quòd quinto loco ſit erectus ibidem Epiſcopatus. Utrumque liti obnoxium longiori , quàm expedire non eſt iſthìc nobis integrum. Fortaſſe non incommodè dici poteſt : quòd à quinque Eccleſijs in Arce Epiſcopali ſimul erectis & conjunctis nomenclatura Urbi quoque adhæſerit. Facit ad hoc, tum hodiernum ipſum Divi Petri Templum, quòd quatterna majora Sacella, velut quædam templa ambiunt; & ipſiusmet Civitatis inſigne, quod Eccleſiam majorem cum quattuor illis minoribus præfefert. Ætate Divi Stephani nomen loco Pente fuit, quemadmodum à doctiſſimo æquè ac probatiſſimo Viro Capituli ejusdem (ùt vocant) Lectore accepimus, dum Urbem illam coleremus. Ajebat ille : in diplomate Sancti Regis hæc verba exſtare : *in Civitate noſtra Pente*, &c. quod quia Græcis * idem ſit ac quinque, πέντε. fieri potuit, ut Eccleſia Epiſcopali poſita, latinè redderetur Quinque-Eccleſiæ. Habuit Civitas hæc nobilem Academiam à Ludovico I. Anno MCCCLXIV. fundatam, atque ab Urbano V. confirmatam. Inſunt jam illi Franciſcani Provinciæ S. Ladislai ad portam Szigethanam, Paulini ad Budenſem, Capucini ad Sikloſienſem ; propiùs forum Dominicani, & Jeſuitæ. Suburbium haud magnum Budam versùs extenditur, in quo degunt Auguſtiniani ; atque hic eſt vetuſtiſſimum etiam omnium Sanctorum Templum , quod Turca rerum potiente , Societati Jesu ab eodem datum ſemper patuit Catholicis. Haud longè indè novum excitavit Sacellum communis Civium pietas B. Virgini ad Nives dedicatum tempore, quo lues peſtifera ſuperiorum proximè annorum Urbem deſeruit. Oppidum alterum Regionis hujus & Arx eſt Sikloſienſis, à Sigismundi Regis captivitate memorabile ; alterum Mohacſium , à miſerabili Ludovici II. cæde infame ; tertium Darda, ad initium pontium Eſzekinenſium collocatum. Nadasdini Arcula, Dombovarini Caſtellum viſitur. Supremum

Comitem, jure perpetuo, idem agit, qui Episcopum.

89. *Episcopatus Quinque-Eccles.* * *Vide N. 76.*

Episcopium Quinque-Ecclesiense Divum Stephanum Patrem habet ac Conditorem. * Occupat Urbis angulum Occidentem inter & Septemtrionem quasi medium, Arcémque efformat. Est hic celeberrimum illud, & totâ modò Ungariâ Templum maximum Divi Petri, à Petro Rege Anno Milles. quadragesimo magnificentissimè positum. Quod Divina providentia tot inter Turcicas evastationes incolume in hæc tempora transmisit, veluti perenne priscæ Religionis monumentum. Ad latus hujus dextrum stat ejusdem Petri sepulchrum, in quo, introeuntibus, vita, Regiæque vicissitudines lapidi impressæ spectantur. Ad Basilicam Episcopales exurgunt ædes Francisci Nesselrothij hodierni Antistitis operis in integrum repositæ. Extra Arcem Canonicorum protenduntur ædes spectabiliorem Urbis partem ornantes. Primus, qui Insulam Quinque-Ecclesiensem implevit, fuit Benipertus, alijs Boniportus Divi Regis Sacellanus. Habuit Successores, alios vitæ sanctitate, alios litterarum eruditione, alios purpuræ honore, alios sanguine illustres. Nec quidquam officit Sedi sanctissimæ execrandum Andreæ Duitij ad hostes Religionis transfugium: nam & Christi Collegium unum habuit Judam Iscariotem. Illud eximium Episcopis Quinque-Ecclesiensibus est, quòd Calano Præsuli ornamentum Archi-Episcopale, nempe pallium Roma transmiserit; quod perpetuum Episcopio huic volunt esse ij omnes, qui subinde in dignitatem succedunt.

90. *Loca Sacra.*

Primas sacra inter loca tenet Abbatia Pech-Varadiensis â D. Stephano Anno M.VII. amplissimè condita, & Benedictinis Regi charissimis donata. Altera fuit Babochensis, demum Siklosiensis Sanctissimæ Trinitatis, Ordinis ejusdem. Quem locum hodie Seraphici incolunt, & qui malè materiatas reparet ædes,

ædes, Patronum expectant. Erant olim & Carmelitæ Quinque-Ecclesijs, qui Anno Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto in Civitatem intrârunt. Erant & Paulini medias inter silvas, ad Pagum Patacs exurgentes; ubi etiamnum templi rudera, & Cœnobij lugent. Atque hoc illud est primum omnium Ordinis candidissimi Monasterium, quod Bartholomæus Quinque-Ecclesiarum Antistes Anno MCCXXV. sua in Diœcesi excitavit. Ex quo corrige eos, qui illud in Comitatu Zemplinienſi in Oppido Patak ponunt, errore ex similitudine quadã vocum orto decepti. Adde Præposituram S. Joannis Baptistæ in Castro Quinque-Ecclesienſi. in Civitate Abbatiã S. Benedicti.

Idioma Baranyenſibus majori ex parte Ungaricum est. Pauci Quinque-Ecclesijs Germani. Illyri ac Rasciani hinc, illínque copiosiores sparguntur. *Lingua.*

Comitatus Tolnenſis à Tolna nomen sortitur. Fuit olim Civitas non ignobilis Danubio adsita, & multis impleta incolis; quod vel ipsa Basilica satis ampla, & suis quoque in ruderibus magnificum quid spirans, palàm facit. Ad hunc terræ tractum spectat Simon-Thornya Oppidum vallo incinctum; Arx illi, sed deserta est. Fôldvarinum deinde, tum Széxárdinum, & Batha; vix quidquam memorabile præterea. Regioni idem ille Supremus Comes præest, qui Comitatui Baranyenſi. 91. Tolnenſis *Comitatus.* *Suprem. Com.*

Inter loca honoribus Numinis dedicata, præcipuum obtinet tum ab opibus, tum à Fundatore suo Bela primo Rege, Abbatia Széxárdienſis SS. Salvatoris; tum B. M. V. de Ivan. Fôldvarienſis deinde S. Helenæ; tandem S. Michaëlis Archangeli de Batha, sive Bathaszek. 92. *Loca sacra.*

Linguæ Nationis ferè pares sunt Baranyenſibus, nisi quòd pauciores fortasse Germanicam loquuntur. *Lingua.*

Simegienſis Comitatus latinis, Somogyienſis Ungaris, non à Sûmegino Oppido, quod ad Szaladienſem spectat Regionem, sed ab Arce Somogy nomen 93. Simegienſis *Comitatus.*

deducit. Quæ etiam nomenclatura Romana occasionem errori dedit, ut à plerisque Sûmeginum sive Simeginum velut caput terræ hujatis ponatur. Habent partes istæ arduo impositam monti Arcem Csobancz, naturæ beneficio vix expugnabilem. Nobile etiam Oppidum Keszthelinum & undique Catholicum. Accedit Tapolcza, & alia minoris famæ. Sed caput omnium Szigethum est, celeberrimum olim, & adversus Turcas facilè princeps Christianorum propugnaculum, Zriniana etiam virtute Europâ totâ nominatissimum. Profundissima undique cingitur palude & Civitas, & Arx; quam fossæ & mœnium vis munit præterea. Supremus Somogyiensibus Comes est Thomas Nadasdius Coronæ custos.

Oppida, Arces.

Supr. Com.

94. *Loca Sacra.* In hac ipsa Insula, eóque in loco, in quo Szigethana exurgit Arx, fuit quondam Præpositura Præmonstratensium, Insula Lazari appellata; quæ, abeuntibus in tutiora Religiosis, ita exigente tempore, militari locum cessit præsidio. altera fuit de Samson. Civitatem incolebant Jesuitæ; discedentibus etiam his, Seraphici succesêre, qui hodiedum Sigethi merent. Idem factum Andacsini. Abbatiâ tandem gaudebant Benedictini de Babolcha; & alterâ S. Jacobi; & tertiâ S. Petri.

Lingua. Lingua pro ratione harum partium Ungarica est, & Illyrica; Szigethana in Civitate etiam Germanica.

95. Bodrogiensis *Comitatus.* Regio Bodrogiensium, quemadmodum & vicinæ circum, propter diuturnam Turcicæ Tyrannidis dominationem, multùm vastitatis & solitudinis, plurimùm confusionis habent. Sublata námque sub barbaro illo Comitatuum divisione, lites subinde emersérunt & jurgia de veteri terrarum partitione. Nos quoniam malo haud mederi possumus, pergamus. Igitur Bodrogiensis plaga sive ab Arce ejus nominis, sive à Castello, denominatur. Urbem aut Oppidum, quod ego quidem sciam, singulare habet nullum. Zentha memorabilis locus est ab insigni Turcarum clade, qui

ad

ad triginta ſuorum millia amiſerunt dimicante adverſum illos Eugenio Sabaudiæ Principe, Chriſtiano ſeculi noſtri Hercule. Partem terræ iſtius Jazygum occupat ditio. Supremum Comitem, quem hodie venerantur, nobis incertum. *Supr. Com.*

Sacratioribus è locis fuit Præpoſitura Titulienſis, aut ſi mavis Titelienſis dives opum & elegantiæ, habuítque inter alios Præpoſitum Thomam Bakacz magnum illum deinde Archi-Epiſcopum & Cardinalem. Altera vigebat in Kapus fő. Abbatia pariter Ciſtercienſium de Abraham huc pertinebat. Alijs etiam S. Irenæi ſimiliter Benedictina. Quamvis hanc alij ad Diœceſim Sirmienſem referant. 96. *Loca Sacra.*

Lingua populo Ungarica, multis tamen in pagis ab Illyrica corrupta; quæ etiam paſſim auditur. *Lingua.*

Bács Civitas Epiſcopalis nomen Bácſienſibus dat. Acceperat à primo Ungarorum Rege * Antiſtitem, cujus deinceps Epiſcopium, Colóczenſi ut adderetur & contexeretur Archi-Epiſcopatui, Roma indulſit. Atque in hac ipſa Provincia ſita eſt Urbs Metropolitana Colócza vetus Romanorum municipium; quod barbaricus furor pene funditus evertit. His temporibus & frequens, & amplum, & pulchrum Oppidum eſt Bája, & mercimonijs abundans. Erant abſque dubio plurima ad hæc Oppida & Caſtella, in terra utpote amœniſſima, & fertiliſſima; ſed, quod ſæpe querimur, bellis omnia ita abſumpta, vix ut rudera jam, nominâque reperias. Titulo Comitis Supremi decoratur is, quem Infula exornat Colóczenſis. 97. *Bácſienſis Comitatus.* * *Vide N. 76.* *Supr. Com.*

Colóczenſium Urbi, non minùs ac Bacſenſium, Divus Stephanus Epiſcopum intulit; ſed illi ipſo anno milleſimo, * quô vero ſimilius Romæ conſecratus eſt Aſtricus ſive Anaſtaſius, primus ille & magnus Colóczenſis Epiſcopus, jure Pater Patriæ appellandus. Qui, evecta haud multò poſt * in Metropolim hac Sede, agmen ſimiliter ducit Archi-Epiſcoporum doctrina, & vitæ integritate Orbe Chri- 98. *Archi-Epiſcopatus Coloczenſis.* * *Vide N. 76.* * *N. 77.*

ſtiano celeberrimorum, déque Republica optimè meritorum. Ex quibus Ugolinus II, & Paulus Tomoræus pro Religione & Patria vitam & animam immolârunt. Duo Frangepani, Patricius Romanorum Sanguis, legationibus ſummis ad Imperatores functi ſunt; Draskovicſius ad Concilium Tridentinum. Telegdinus ac alij ad præſentem uſque Cardinalem Principem mira in res Divinas profuſione inclaruerunt. Vaticano inſignes oſtro tres cenſentur. Porrò Epiſcopium ipſum, & Eccleſiam Metropolitanam liberalitas Cardinalis Emerici Csáky hodierni Archi-Epiſcopi Urbi reſtituit, ínque dies feliciorem reponit in ſortem. Cujus etiam beneficentiæ dandum, quòd & Canonici augeantur, & jam locus ipſe triſtiorem excutiat faciem, aſſumat lætiorem.

99. *Loca Sacra.* Dubium mihi nullum eſt, multa in hac ſanctimoniæ Sede fuiſſe quoque Sanctorum Virorum domicilia; ego, ſi Præpoſituram Bacſienſem S. Pauli unam exceperis, reperi nihil.

Lingua. Par ratio Bacſienſium Linguas habet, quæ Baranyenſium: principes ſunt Ungarica & Illyrica.

100. Szolnokienſis *Comitatus.* Szolnokienſis conſequitur Comitatus, mutuato ab Arce harum partium munitiſſima nomine; quæ etiam caput eſt terræ hujus; habet Oppidum haud contemnendum. Alteras tenet Kecskemetinum inter ampliſſima Ungariæ loca non immeritò referendum; à vetuſtate quoque & Metanaſtarum Jazygum incolatu celebratum. Huc refertur & Jánoshidgya, quod Latinis pontem Joannis ſonat, & ripam Zagyvæ fluvij occupat.

101. *Cumani & Jazyges.* Pars Comitatûs hujus Regio Cumanorum ſeu Cunorum eſt; hi cum Jazygibus ſive Philiſtæis non modicam Ungariæ occupant portionem. Qui à Bela IV. Annum circiter Milleſ. ducenteſ. quadrageſimum, aut paullo ante Ungariâ donati; iſthìc ſedes poſuerunt. Gens idolis devota, ſolerti deinde Pontificum ac Regum noſtrorum labore & induſtria, ejurata ſuperſtitio-

tione, Fidem amplexa Catholicam, grandi acceſſione Ungariam exhilaravit & Eccleſiam. Loca porrò Cumanorum præcipui nominis ſunt: Kolbáſzſzék, ſive Emporium Farciminum, Oppidum olim primum; deinde Kúnhelység, Mádaráz, & Ujſzálás. & quod ſuprà nominavi, Kecskemetinum. Jazyges incolunt Jáſzberinyium, Doſam, Jakohalmam, Mihálytelekinum, Apati, S. Georgium, Fénſzaru, & Arokſzálláſſium. Supremus Szolnokienſibus Comes *Sup. Com.* præeſt Agrienſium Præſul.

Ad Oppidum Jánoshidgya Præmonſtratenſium 102. *Loca Sacra.* Ordo Præpoſituram incolit ſuam; Kecskemetini PP. Piarum Scholarum, & Franciſcani domicilia ſua; hi & ad Jáſzberinyium Monaſterium poſſidebant; cujus nunc, non, nisì templum extat Salvatoris Mundi nomine inſigne; à quo, utì fertur, Salvatorianæ Seraphicorum Provinciæ adhæſit nomenclatura; Clauſtrum autem in Oppidum immigravit. Apud Cumanos fuit Abb. Beël B. V. Aſſumptæ.

Avita Cunis & Jazygibus Lingua Ungarica eſt; *Lingua.* eadem locis alijs. Szolnokini Germanicè etiam loquuntur & Sclavonicè.

Famâ amplior, ac ſpatijs terræ Comitatus Peſtien- 103. Peſtienſis nomen indipiſcitur ab Urbe Regia Peſtino. Jacet *Comitatus.* ſupra ripam Danubij, Regiámque Budenſem cominus intuetur. Nobiliores olim inter Civitates reponebatur, nobiliſſimis hodie jure poterit accenſeri: adeò fedam tot bellorum ferruginem, extructis brevi tempore multis, iísque elegantiſſimis palatijs, & domibus, abſterſit; ut priſtinis haud indoleat ruinis, quando per eas ad tantum revixit florem. Eſt in ea Regium Ungariæ Tribunal (Tabulam Regiam nominamus) ad quod diſceptatores data ſibi die, de fortunis majoribus cauſam dicunt. Alterum ibidem eſt jus Septem Virum (Tabula Septemviralis) in quo veluti ſupremo, quaſi quidam Juſtitiæ Antiſtites, ſecundùm verum æquúmque judicia exercent.

104. *Campus Rákos.* Adjacet Urbi huic famosissimus ille Rákos Campus, à fluviolo cancrorum ferace, pérque locum decurrente, appellatus. In hoc Progenitores nostri ad Ludovici II. tempora, comitia ferè celebrabant, negotia publica decernebant, ferebant Leges, eligebant Reges; consulebant autem in medium Martiali sub papilione, & sententias, more Majorum, de stapede dicebant. Quò quidem concurrere cui libebat Nobilium, licebat. Qui mos, graves ob causas sapienti deinde consilio intermissus est.

105. *Váczium.* Alteras hoc in tractu Urbs Episcopalis Váczium tenet. Nomen loco ab Eremicola Vácz, his in silvis, fidelem DEO, animæque suæ operam locante. Fuit is claris ortus natalibus de Familia * Hethei, superiori in Pannonia vitæ datus. Qui dum admodum Adolescens, de suis audivisset: fervere omnia in interiori Ungaria pietate & religione; fixúmque Sanctorum ibidem esse domicilium. divinioribus actus stimulis clam Parentibus domo secedit, ac primùm Visegradienses inter silvas latitat; tum transmisso Danubio has in partes semet recondit. Ubi Anno Millesseptuagesimo secundo Geyzæ I. & Ladislao Sancto forte repertus, certam de Salomone prædicit victoriam. cujus quidem non vulgare indicium mox & Geyza accipit, quem delatâ Cœlis coronâ Angelus incingit; & Ladislaus ipse, in cujus sinum mustella candidissima, omen non dubium triumphi, circumactam per lanceam evolat. Ubi pariter Duces piissimi, antequam manus conserant, vota ritè suscipiunt: & Geyza quidem positurum se DEI Parenti ædem jurat; Ladislaus Divo Martino. Bellatum subinde, & stante à partibus Ducum Marte, debellatum denique, Salamónque profligatus. Altero mox anno, memores jurisjurandi Duces, locum victoriæ repetunt, & Basilicam Divæ Virgini eo designant in loco, in quo redimitum ab Angelo viderat Ladislaus Geyzam. At ecce tibi cervus insolitæ magnitudinis flammantibus undi-

* *Inchoferus in m. s. ad An.* 1072.

undique cornibus è vicino accurrit, actóque in gyrum cursu, fugam repetit nuspiam deinceps visus. Hìc timore primùm concuti Fratres, tum mirari, conijcere tandem: eum sibi delegisse locum Cœli Reginam, cui cervus ille vestigia impressisset. quo etiam in spatio festinatis operis magnifica exsurrexit Basilica. Porrò ne locus, in quo de Cælo coronatus est Geyza, religione vacaret, Templum S. Petri Apostolorum Principis accepit. Accessêre mox plures incolæ tum amœnitate loci capti, tum vel maximè pietate in Virginem attracti; Urbémque demum effecêre, productis circum ædificijs, & additis munimentis. Hæc initia Urbis clarissimæ sunt, Divinis plena gratijs, prodigiísque illustrata. Ladislaus autem propius eum locum, quem penes victoria steterat, Divo Martino splendidum dicavit Odeum, votíque religionem exolvit. Nomen loci hujus Monyoród. Ceterùm quæ magnoperè referri expeterent, vix alia isthìc, nisì fortasse Arx Sambokiensis. Supremo Comite Pestienses eodem gloriantur Pro-Rege, quo Pilisienses, & Solthenses; qui distinctus olim Comitatus, totus ferè jam Pestiensi innectitur. *Supr. Com.*

Magnus ille communi populorum acclamatione Rex Geyza, quô honorem adderet Templo à se excitato, religionémque loci augeret, apposuit & Episcopium; novis ad vetera, quæ ante amplissima Ecclesiæ illi Marianæ donaverat, adjectis fortunæ bonis. Quo autem id factum anno, hactenus reperi nihil. Existimo autem erectum esse Episcopatum Vácziensem An. Christi MLXXIV. aut certè insequenti: nam quòd posterioribus adscribi temporibus non possit, liquet ex instrumento fundationis Abbatiæ S. Benedicti de Gran Anno Millesimo septuagesimo quinto confecto, in quo mentionem facit Rex possessionis Alpar *ad Episcopum Vacziensem spectantis.* ubi nominatur Neæmias Strigoniensis, Desiderius Colocensis Archi-Episcopi; Episcopi deinde quattuor duntaxat: Aron, *Episcopatus Vaczienſis.* *Erectus An. circ. 1074.*

Franco, Georgius, & Lazarus; desideratis tamen Episcopatuum nominibus. Sed nec ad anteriora tempora referri poterit: quoniam incredibilis Geyzæ modestia affirmare vetat; Ducem sibi tantum sumpsisse, ut Episcopum nominaret nondum Rex. Itaque Anno, quem prædixi MLXXIV. ipsis solennibus Paschalibus in Regem inunctus, pro potestate Regis Apostolici Vaczienſem Sedem Episcopalem dixit, Antistite etiam creato. quæ omnia rata habuit Gregorius VII. Pont. Max. apud quem summis semper in amoribus Geyza vixit, uti testatum faciunt Pontificiæ ad eundem Litteræ affectu plenissimæ. Quis verò Episcoporum primus Váczium gubernavit, Auctores non produnt; mihi, si conjecturâ uti liceat, videtur fuisse Lazarus, unus illorum quattuor, de quibus suprà: tum quia postremo ponitur loco, tanquam novissimæ Præsul Ecclesiæ; tum quia credibile est, non abfuisse à latere Geyzæ Antistitem loci sibi in primis charissimi. Qui hunc secuti sunt, virtute & litteris ad unum erant conspicui; quemadmodum declarant ea, quibus ornati sunt, munera. Episcopium porrò multa accepit ornamenta sub Nicolao Batorio, regnante Mathia Corvino. Post deprædationes deinde Turcicas sub Michaële Dvornikovicsio sensim cepit restitui; sub Sigismundo Kollonicsio, hodierno Viennensium Archi-Episcopo & Cardinale, cultiùs ornari; sub moderno Michaële Friderico è Comitibus ab Althann Purpurato Patre, & nuper Pro-Rege Neapolitano, ad Regiam propemodum Majestatem de integro erigitur, numerisque omnibus amplitudinis, & decori, mirum quantum illustratur. Præter Episcopalem Sedem, & Canonicorum domos habent sua Ascæteria & Dominicani & Piaristæ; hos Kollonicsius, Dvornikovicsius illos, paullo ante laudati Antistites Civitati intulerunt. Franciscanus Ordo ad ipsam Danubij ripam grande Monasterium

& Tem-

& Templum adornat, piiſſimis Stephani Koharij Curiæ Regiæ Judicis ſumptibus.

Præter ea, quæ modò nominavi ſanctiora loca, fuit quoque Abbatia in Monyoród, & fortaſſe à Divo Ladislao, quo perennem Baſilicæ à ſe excitatæ honorem faceret, conſtructa. Peſtini ad S. Nicolai Cruciferorum Conventus degebat; nunc Urbs hæc numerat in ſuis quinas Religioſorum Familias: Franciſcanam, Prædicatorum, Piarum Scholarum, Paulinam, & Servorum B. Virginis. 107. *Loca Sacra.*

Lingua genti eſt Ungarica. Urbes geminæ etiam Germanicâ pollent. *Lingua.*

Heveſienſes terræ nomen ex Oppido Heveſs ducunt. Habent Urbem Epiſcopâlem Agriam, cui denominationem locum allambens Huviolus advexit. circuibat undiq; quadrato olim è lapide conſtructus Urbem murus; ſed temporum injuriâ vitium pluribus in partibus fecit, víxque umbram primæ refert imaginis. Arx Civitati imminet, aut potiùs pars Arcis, cùm exterior multóque amplior munitio ſuis jaceat in ruderibus. Cultiſſima olim fuit Agria, in quam utpote & Regum, & Antiſtitum favores profundebantur; ſquallorem ei impreſſit Turcà, diu loco potitus. Excutit his annis barbarum vultu pulverem, & veterem induitur ſplendorem, memorabili induſtria, atque incredibili Gabriëlis Erdôdij Antiſtitis labore. Fuit & fortiſſima, multùm Otthomanno reſtitit, multùm intulit damni; celebratúrq; Heroa Agrienſium virtus, etiã mulierum, eruditis exterarum Nationum calamis. Fuit denique ſanctiſſima à habitatione tum præclariſſimorum Epiſcoporum, tum Religioſorum plurium. Sed & hanc magna ex parte jacturam ſarſit, recepítque ſinu plures Ordines integritate vitæ & inſtituto conſpicuos. Una námque Agria complectitur Divi Franciſci filios, alios quos vulgus Minoritas dicit; alios, qui ſtrictioris audiunt obſervantiæ. Servitas deinde; tum Societatem Jesu; Fratres denique Mi- 108. Heveſienſis *Comitatus.* *Oppida, Arces, Caſtella.*

sericordiæ; extra Urbem Ordo Sanctissimæ Trinitatis vivit; quem, uti & postremos illos magna laudati Gabriëlis Episcopi fundavit religio & ditavit. Adde his elegantissimum Cleri, & Nobilis Juventutis Seminarium à Stephano Telekesio, Sancto illo Præsule, publico Ecclesiæ & Patriæ bono erectum. Hic Gyôngyôsinum, à præterlabente undula appellatum, sequitur Oppidum, & illud vetustissimum, & ab Orthodoxa Religione in primis celebratum. Populus illi uti frequens, ita pietati ex animo addictus. Sunt in eo quatterna Divorum fana, velut priscæ Arces religionis: D. Bartholomæi uno & viginti Altaribus memorabile; tum S. Urbani, deinde S. Elisabethæ, tandem Assumptæ in Cœlos Virginis. Monasterium Seraphicæ Familiæ dedit Gens Bathoria, in quo suos Ordo ille instituit Tirones. Ædificium amplitudinis maximæ, cetera omnia per Ungariam excellit Cœnobia. Societas JESU, Turca has plagas obtinente, Oppidum ingressa est, quò saluti prospiceret Civium; & vitam multas magnásque inter ærumnas, stipe piorum pauperrimè ducebat. Accessit deinde Georgij Lippaij pro Scholis fundatio, ac demum Stephani Kohárij liberalis manus; quibus vetus egestas, quacum diu multúmque luctabatur, recreata est. Huc accensentur Oppida Gyôngyôs pata, & Hatvaninum præterea. Plures olim numerabat Comitatus hic Arces, quæ modò in cumulum desiêre lapidum; hoc tempore ôrsiense, & Detkense Castella celebrantur, Arcula item Szarvaskô. Dignitas Supremi Comitis sub Infula effulget Agriensi.

Suprem. Com.

Sunt, qui Agriæ fuisse Episcopium adhuc ante tempora D. Stephani, asserant; verùm utcunque res ista se habeat, titulus Fundatoris negari Stephano haud poterit, siquidem cogitatè perpenderit quis ea, quæ fusior de Besprimiensi disputavi * Episcopatu. Ornat itaque D. Rex primus Agriam Urbem, & Episcopatu exornat, Sede sacra id loci constituta, ubi nunc

109. *Episcopatus Agriensis.*

* *Vide N.* 23.

nunc visitur Arx, in qua & ædes Canonicorum, & præclara S. Joanni Apostolo consecrata stabat Basilica; quam Turca in propugnacula deinceps ire jussit. Episcopium hoc tempore magnificentissimè è fundamentis à Gabriele Erdôdio excitatum, quemadmodum & Cathedrale templum S. Archangeli Michaëlis, & denique Canonicorum domus Civitati decori sunt. Porrò Episcopatus hic tantis auctus est opibus à Fundatore, Rex ut Bela IV. parem judicaverit, qui quarto Regis Filio (siquidem tot haberet) per Antistitem loci pro dignitate educando, abunde sufficeret. Ortum ejus Anno Millesimo nono tribuunt alij, ego ad anteriora * refero tempora. Præsulem verò primum sive Catapranum, sive S. Buldum, quis creatum dixerit, haud ægrè feram; illud moneo duntaxat; ut si principe Buldus loco donetur, septem minimùm supra quadraginta annos Agriensem gubernâsse Ecclesiam dicatur. Ceterùm ex Sede hac, Romana in purpura bini effulsêre Cardinales; duo & decem Strigoniense conscendêre solium; alterius fidei coronam Ungaria concredidit, alteri Rex locum Pro-Regis dedit. Unde intelligere est, qui, quantíque Viri, sacro hocce in throno consedêre. non attinet collata in bonum publicum studia pluribus prædicare, certè vel confessione hostium; Agriensium potissimùm operâ Episcoporum, magna in parte Ungariæ inconcussa stat Fides Orthodoxa, studia adversariorum eliduntur, & Romana sacra mirificè in dies propagantur.

* *Vide* N. 76.

Est Agriæ Præpositura B. Virginis; altera S. Petri. Propiùs Urbem Abbatia fuit in Apat-falva; altera in Saári ad Gyôngyôsinum. Inerant etiam Civitati PP. Dominicani, Augustiniani item, ac Paulini. Denique Agria est Urbs illa feliciſſima, quæ prima omnium Franciſci Seraphici, ipso adhuc in vivis agente, hospitio accepit filios, à loci Antistite inductos. De anno non constat, factum tamen id ante

110. *Loca Sacra.*

Milleſ. ducenteſ. vigeſimum quintum, & poſt Milleſ. ducenteſ. decimum.

Lingua. Heveſienſes callent Ungaricam, Agriæ Germanica etiam, etiam Raſcianica auditur. Adde Sclavonicam Gyöngyöſienſibus.

111. Temeſienſis Comitatus. Temeſienſis modò Comitatus, modò Banatus à fluvio Temeſio nomen accipit, qui etiam caput Provinciæ Temesvarinum inſignit. Eſt Urbs, veriùs propugnaculum unum pluribus undique aquis, aggeribus, querciníſque adeò firmatum firmúmque palis, vix ut ſubdi poſſit. Trifariam dividitur: medium Arx obtinet, hinc Temeſia Civitas, inde Raſciana ſita eſt. Natales habet ab Ungaris Regibus, qui vallum iſtud Bulgaricis objecerunt incurſionibus. Et ſtetit omnino ad annum uſque alterum & quinquageſimum ſupra quingenteſimum milleſimum ſemper invictum, donec tandem non tam virtute oppugnantis, quàm propugnantis paucitate, rerúmque inopiâ, victas cogeretur dare manus Turcæ. Gemuit ſub Barbaro ad Annum MDCCXVI. quo ab Eugenio obſeſſa, aliquando tandem reddita Ungariæ eſt feliciſſimis auſpicijs CAROLI VI. Imperatoris; cui uni ſervavit DEI providentia vindicatæ omnibus ab hoſtibus, veterémque repoſitæ in fortunam Ungariæ gloriam, & decus immortale. In hac plaga ponitur etiam Lippa nobilis quondam cum Arce Civitas, jam ferè indigeſta moles. Accedunt ſtationes quædam militares, quæ cum Temeſio defluunt, defendendæ Provinciæ peroportunæ. nec quidquam iſthìc, quod memoretur ampliùs, invenimus. Erit tempus, ubi ſub Catholico Rege, reſtitutâ ſibi felici terrâ, barbarica excutiat buſta, priſtinas recipiat Urbes & Oppida, fuſiorémque præbeat Scriptoribus laudis materiem.

112. *Loca ſacra.* Sunt Temesvarini PP. Societatis JESU, & Seraphici; Auguſta CAROLI Imperatoris munificentiâ Ordo uterque alitur. Maximum Otthomannicæ ſuper-

perſtitionis delubrum, ſacris Pontificalibus expiatum & Mariæ Serenæ honoribus initiatum in ſempiternam Virgineæ beneficentiæ memoriam; cui uni in acceptis referebant piiſſimi Exercitûs Ductores, quòd dum circum undique copioſos Cœlum imbres demitteret, ad Temesvarinum, dum obſidio ferveret, ſudum manſit, & ſereno ad audendum milites animavit vultu.

Lingua. Idem ipſe dies, qui Ungaros Temesvarino, etiam Linguam de partibus his profligavit. Raſcianica nunc plebeja eſt, multùm tamen corrupta dialecto Turcica. Apud rerum Dominos Patria floret Germanica; apud militem ferè Bohemica.

113. Severienſis *Comitatus.* Severienſis terra haud ſecus ac Temeſienſis jam Comitatus audit, jam Banatus. Habet nomen à Severino Urbe quondam præcipui nominis; quam L. Septimius Severus Pannoniarum & Illyrici Pro-Conſul dicitur poſuiſſe, déque nomine nobilitâſſe ſuo. Jacet ad littora Iſtri, fuítque ad tutandos Ungariæ limites unum è primis munimentum. Huc ſpectat & Karány-ſebeſium elegans cum Arce Civitas; ſed cujus hodie locus tantummodo & inane nomen. Par fatum involvit Oppida reliqua & Urbes, barbaro circum omnia evaſtante ferro & igne. Meliora dabunt Superi, quando per victricia Cæſaris Magni arma, & hoſtes arcebunt deinceps, & pacem tot ambitam votis terræ huic ſartam tectam conſervabunt.

114. *Loca Sacra.* Et in hac, & in Temeſienſi Provincia, plura, citra dubium, ſtetêre Divorum loca; quorum tamen ne nomina quidem apud nos: ſcilicet & hæc eripuit memoriæ furor ille Aſiaticus. Illud notum: per quattuor admodum & decem annos laborâſſe Societatem JESU Karány-ſebeſini, donec & illam, nihilo Turcâ mitior proturbaret Calviniſta Princeps Tranſſilvaniæ.

Lingua. Communis nunc populo Valachicus ſermo eſt, nisì fortaſſe penes quosdam & Ungaricus latitaret.

115. Cſanadienſis Comitatus.

Cſanadinum Urbs Epiſcopalis Cſanadienſem denominat Comitatum. Reddita ſibi, Ungariæ, & Antiſtiti ſuo eſt capto Temesvarino. Arx ſupra Maruſij ripam aſſurgebat magnifica, dignáque quæ Regem caperet, & Comitia Regni univerſa. Cſanadini námque & Petrus, & Aba, & Ladislaus IV. animi causâ diverſabantur. His modò in locis, præter ſitûs amœnitatem, locorúmque fertilitatem vix quidquam. Supremum Cſanadienſis Comitis locum implet is, qui loci Infulam.

Supr. Com.

116. Epiſcopatus Cſanadienſis * Vide N. 76.

Cſanadienſis Tyaræ author eſt D. Rex Stephanus. * Fundator alter jure quàm æquiſſimo coletur CAROLUS VI. qui everſas Epiſcopij fortunas armis vindicavit ſuis, exulémque per ſecula Epiſcopum Sedi reſtituit & gregi. Primus Præſulum eſt S. Gerardus Magnus Ungariæ Apoſtolus, & Martyr glorioſus; cujus præclara preſsêre veſtigia Succeſſores, & plures expreſsêre. Ultimus, qui Epiſcopium coluit Ugodius fuit Franciſcus; qui demum tanta poſt temporum intervalla recepit, primus eſt Ladislaus Nadasdius. Felix Præſul! cujus emerito ſenio, ceu Simeoni illi licet occinere: *Nunc dimittis, &c.*

117. Loca Sacra.

Ad eandem Maruſij fluminis ripam S. Georgio Martyri & Baſilica grandis, & Abbatia Benedictina ſtabat, ſanctum S. Gerardi opus. Stabat & aliud Virgini Matri Odeum ſacrum, in quo nox & dies perennes DEI Parenti hymnos dabat & laudes. Atque hæc illa ædicula fuit, ex qua univerſam in Ungariam potiſſimùm manavit cultus Marianus. Hic ille Cſanadienſium Præſul, qui & D. Stephano majorem in modum, & Ungaris omnibus affectum inſculpſit ac religionem in Cœli Reginam; quam nullum vel edaciſſimum tempus deterget, nullæ ſeculorum adverſitates obliterabunt. Nec illud oblivione tumulandum, immo celebrandum vel maximè: quòd Cſanadienſi in Epiſcopio primùm MARIA Magna Ungarorum audiit Domina. ſcilicet quò major ipſi nomini ſanctiſ-

ſimo

simo reverentia haberetur, studiúmque ac cultus in Dominam mentibus omnium semper obversaretur. Hujus plagæ est & Abbatia Cistercienſium de Egres ab Andrea II. An. MCC. fundata.

Loquuntur adhuc his quoque in partibus Ungaricè. Potius tamen Valachicum, sive Rascianicum idioma est. *Lingua.*

Comitatus Aradiensis nomen ab Oppido Aradino mutuatur ad Marusium amnem sito. Arx illi probè firma, multúmque munita, præsidium habuit adversùs Temesvarienses Turcas collocatum. Locus alter celebrior est Gyula haud longè à Crisio nigro fluvio; nam alter nominatur Albus, alter velox. Hìc quoque statio militaris est & munitio valida. Tertiam alij adjungunt Arcem Solmossiam, prælatæ incumbentem rupi, ac contra Transilvanos præcipuè pro finibus Patriæ depugnantem. 118. Aradiensis Comitatus.

Habuit Aradinum & Præposituram de Arad, & Collegium Canonicorum. Pauci hodie locum colunt Minoritæ. 119. *Loca Sacra.*

Varietas populorum, varias induxit Comitatui Linguas, utì sunt: præter Ungaricam, Germanica, Sclavonica, Valachica, Ruthenica. *Lingua.*

Vetus Csongradiensis Arx, Oppidúmque frequens ad confluentes Tibiscum & Crisium exædificatum, toti circum telluri nomen imponit suum. Cetera Szegedinum Libera Regiáque Civitas primas habet. Perantiqua est, & jam temporibus Mathiæ Corvini inter celebriores habita. Populo adhæc abundat, quæ utpote sub Ludovico I. quadraginta admodum millia vel de solis piscatoribus (sit fides penes authores) scribitur misisse, quô obsesso suppetias venirent Belgrado. Eminet etiam religione, ultra vicena namque Divorum fana sinu complectebatur suo. Denique fortitudine potens pollénsque est, bellè utpote munita tum Tibiscanis aquis, tum veteribus propugnaculis, tum recenti munitione, atque illa per- 120. Csongradiensis Comitatus.

ampla, & omni ex parte ſolidiſſima. Nec contemnendum Váſárhelyinum, & ipſum vaſtum Oppidum, & incolis bene multis plenum.

121. *Loca Sacra.* Tot Divorum apud Szegedienſes Sacraria planum faciunt, plures accoluiſſe Religioſos Ordines, quibus illa curæ eſſent. In tenebris ſunt omnia; illud clarum ad B. Virginis habitâſſe Filios Divi Franciſci; qui hodiedum loco potiuntur. Divi item Dominici.

Lingua. Partes hæ Ungaricâ utuntur Linguâ. Præſidium Szegedinenſe populari ſua.

Hìc terminus Meridionali eſto Ungariæ. in qua velocior nobis curſus, non quia medio cum æſtu luctandum erat, requiésque tanto ardentius petenda; ſed quia vel ad altiſſimum ſolem talpas ſæpius agere coacti ſumus; nec quid porrò diceremus, in promptu circa plurima haberemus. Felicem terram infelix malorum unda ſi minùs abſorpſit, fœdavit certè quidem, ac confudit loca propemodum omnia, vix ut antiquæ iſthìc veſtigia cernas Ungariæ. vela proinde vertimus ocyter, & nosmet Orienti immittimus.

§. IV. *Ungariæ Orientalis Comitatus.* Biharienſis. Biharienſium Provincia Orientalem exorditur Ungariam. nomen ei ab Arce Bihar, percelebri quondam, & id temporis magnifica. Oppidum modò extat, nec quidquam aliud. Prima Regionis Civitas eſt

122. *Varadinum.* Varadinum, paſſim Magno-Varadinum, ad flumen Cryſium exædificatum. Initia refert ad D. Ladislaum Regem, magnóque illo gloriatur conditore. Habet Arcem, quæ olim Epiſcopium, Eccleſiã Cathedralem, ac ædes complectebatur Canonicorum; vergentibus ſubínde in pejus Ungariæ rebus, ſacrísq; inſuper habitis, in militare tranſiit præſidium jam indè à luctuoſa illa Mohacſienſi in campo Epiſcoporum clade. Hodie & Epiſcopium & Canonicorum Capitulum Urbem auget; cui & Franciſcani inſunt, & Jeſuitæ à temporibus Stephani Bathorij Tranſilvaniæ Principis & Regis

gis Poloniarum religioſiſſimi, propagandæque Divinæ gloriæ, ac ampliandæ Societatis JESU Monarchæ ſtudioſiſſimi. Et ſtetiſſet hactenus Bathorianum Varadini Collegium, nisi intempeſtiva bono publico mors conatus Stephani interrupiſſet. Lenivit ex parte dolorem pietas Leopoldi Magni, tum Auguſtini Benkovicſij loci Antiſtitis copioſa in Socios liberalitas; cui etiam Unguarienſis Collegij Muſæ debent, quod de re litteraria benemeritos ſua quotannis maneant præmia. Cetera de veteri illo Varadino, exiguæ modò ſuperſunt reliquiæ, abeuntibus trans Cryſium potioribus loci incolis, & in Oppidum Olaſzi colonias ducentibus, novúmque componentibus Varadinum; quod & Religioſi, quos nominavi, & plerique Canonicorum incolunt. Quamquam hodie ſupra infráque arcem Civitates conſurgunt geminæ; quarum alteri Pûſpôki, Katona-város alteri nomen: ut adeò ſi Tri-urbem Varadinum dixeris, haud à vero exerrabis. Ad perenne Varadinenſium ſolatium, & longam gloriam facit: natus apud eos Petrus Pazmannus, magnum Eccleſiæ & Ungariæ decus.

Altera Civitas Libera Regiáque Debreczinum eſt; 123. *Debreczinum*
ſi domos ſpectes, majori parte humile; ſi amplitudinem, ædiúmque frequentiam, totâ Ungariâ facilè primum. Ornatur in dies cultioribus ædificijs, & augetur etiam ſanctioribus. Poſteaquam enim Anno ſeculi hujus quintodecimo adamantinæ illæ Calvini ſeræ, quibus omnis ad aditum rima Romanis ſacris intercludebatur, authoritate Comitiorum Poſonienſium tandem patuiſſent; ingreſſi ſunt & Catholicus Curio, & Divi Franciſci Filij, & PP. quibus à Scholis pijs nomen venit: his magnificam poſuit Baſilicam Cardinalis Emerici Csáky munifica in Divinum cultum manus; appoſuit Convictum Nobilium Juvenum ſtudioſa boni publici Stephani Koharij liberalitas. Egêre multùm, & multi, ut ſuam quoque figere liceret Societati JESU iſthic ſtationem; ſed

profecêre nihil. Quod autem ob crimen, aut quale maleficium arcetur Societas, ne ipsi quidem Cives boni noverint; nisi crimini verterint indefessum Ordinis suorum pro Gentilium æterna salute laborem. At enim spes mihi haud dubia est: receptum iri & his oris Ignatium, ubi absterſa opinionum caligine, suum Civitati prudentissimæ redierit mentis sudum; tantóque amabitur ardentius, quantò seriùs admittetur. Est præterea in Urbe hac Helveticæ, ùt vocant, confessionis celebre litterarum omnium emporium, & Juventus copiosa. Ad hunc Comitatũ spectat Székelyhida, locus antiquus, probéq; munitus; Margitha cultũ Oppidũ; & plura alia obscurioris nominis. Authoritas Supremi Comitis perpetua est Varadinensium Præsuli.

Sup. Com.

124. Episcopatus Varadinensis

Natalem Varadinensis Episcopatûs, utì & Civitatis, faciunt nonnulli Annũ MLXXX. quæ opinio, mihi quidẽ, qui temporum ratione in veritate historica antiquius habeo nihil, haud unquam probabitur: nam & Annus ille, & plures, qui sequebantur, continenti serie bella bellis nectebant; nec civilibus duntaxat, sed externis quoque ardebat Ungaria incendijs; ut adeo pronum sit cogitare: Regem sanctissimum non tam de condendis novis Urbibus fuisse sollicitum, quàm de conservandis veteribus. Togata tempora, otiúmque exposcunt pacificæ id genus cogitationes; sagum & Mars non tam substructiones, palatiáque moliuntur, quàm cuniculos ac hostium ruinam meditantur. Et quamvis etiam belli noverim Ladislaum fuisse semper quàm piissimum; tamen cùm ingens copiarum multitudo insanos exigeret sumptus; vix erit, unde arbitrer, suffeciſſe quemquam tantum alterum ad constituendam Urbem, ponendúmque Episcopium. Demus itaque sua militiæ negotia, suas paci actiones: & ad MLXXXIX. Episcopatûs initia, Varadiníque fundamenta referamus; eum scilicet Annum, quo post depulsum Regno Salamonem, Chunos semel ac iterum profligatos, Ruthenos etiam exturbatos, quiete

Erigitur An. 1089.

te Ungariæ reddita Rex & Civis reſpiravit. Ergo dum curarum liber Biharienſem venando ſcrutatur agrum Ladislaus, incidit forte volventi DEUM menti: è majori Numinis gloria fore, Virginísque Matris honore, ſi quod ad Cryſium amnem ſtatueretur templum, in quod liber pateret tranſeuntibus aditus. Hæc ſecum verſanti, ſive vehementior quiſpiam affectus impreſſus eſt; ſive, quod malunt alij, notus ille Váczienſis Cervus rurſus apparuit, & dedicando veſtigia impreſſit ſolo. Certus igitur Divinæ voluntatis Rex magnificentiſſimam de fundamentis DEO & Matri DEI educit Eccleſiam; lectiſſimos addit Cives, qui locum tutentur; pingue adijcit Sacerdotium, quod ſacra faciat; apponit tandem Pontificem, qui Divinis cum authoritate moderetur rebus. Rata omnia habuit Urbanus II. & probata. Epiſcopatum hunc à Tartaris fœdum in modum deformatum reſtituit deinceps Bela IV; auxit magnopere Mathias Corvinus collata eidem Provincia Biharienſium universâ Anno MCCCCLXIV. dum eidem præeſſet Joannes Vitezius Corvini in litteris inſtitutor. De primo Antiſtite major difficultas: Colomanus Geyzæ Primogenitus paſſim creditur, & ſcribitur. ego in fabulis iſtud cenſeo: quoniam initiatum ſacris nuſquam legam; immo cùm alienum à ſe intelligeret Ladislai animum, & in Almum Fratrem propendere acciperet, etiam in Poloniam profugum reperiam, & quidem ad Annum MLXXXXI. Nec ante Ungariæ redditum, quàm ſuum Rex diem obiret. Quando igitur, & ubi creatus Epiſcopus Varadinenſis? poſt fugam, & apud Polonos? atqui ideò fugam capeſſivit, ideo gentem Parenti amicam petijt, ut quem oderat, ſacrum effugeret ordinem. Jam ſi priuſquam Aula diſcederet, Sacerdotio gravabatur, imprudenter ſanè exilio remedium quæſiviſſet, cùm nôſſet onus illud nullis ſe excutere valere itineribus. Adde, quòd abhorreat à Ladislai pietate vel cogitare:

Colomanus non fuit Epiſcopus.

invitum ac reluctantem coëgisse Colomanum ad sacra; quandoquidem id absque grandi piaculo haud esse potuisset. Deinde non assequor, quî tandem prudentissimus Rex, Ecclesiæ recens, pérque prodigium à se constitutæ, hominem novitium, & illum moribus sibi nunquam probatis instructum, Antistitem daret. Demum quandoquidem alij Agriensem declaratum fuisse volunt Episcopum, alij Varadinensem & quidem Sacerdotem; non est quibus tuto fidem habeas, præsertim cùm multa contra faciant, quorum jam meminimus. At enim Regio voluit sanguine suum illustrâsse Episcopium Ladislaus. Si magnis Progenitorum Ceris virtutem copulaveris, attulisti quidpiam; ubi separâsti, dixisti nihil. Magnus sanguis nisì magna ornetur virtute, opprobrio est non splendori. Sed Colomanus Juvenis erat hispidis & pilosis membris, nec bene inter se consentientibus; linguâ blesus, pede claudus, gibbóque è pectore prominente turgidus; indè velut monstrum, pro Throno omnino indignus. Egregium hercle pro Episcopatu Colomani argumentum! conficeret enimverò hæcce ratiocinatio rem, si seculi nostri labem, simplicia ac innocentia illa tempora novissent. At certè Ladislaus ea fuit religione, qui maculatum & debile, immo informe portentum, Aris nunquam admoveri passus sit; Divinis quandoquidem legibus id esse vetitum probè cognitum habebat. Ad extremum nequidquam juvat dicere: quòd traditione populi ideo dictus sit Kônyves-Kálmán, quòd codicem horarium, Ordinis insigne, secum detulerit. hujus enim, utì & fabellæ totius originem, paucis accipe: Ladislaus Rex cùm Colomanum minùs solio idoneum judicaret, non tam ob vitia corporis (hypotiposis quippe Bonfiniana, si fides alijs, non undique sibi constat) quàm animum æquô callidiorem, & in tyrannidem multùm propensum; è re futurum existimabat, si religione ferocem emolliret nepotem, Regníque felici-

Vide Bonfin. Dec. 2. L. 4. & L. 5.

tatì

tati caveret. Habito itaque cum Proceribus consilio, Almum natu alterum pro Coronis destinat, Colomanum inducturus, si quâ posset, sanctiora ut sequeretur consilia. Re in vulgus sparsa, cùm alij alijs narrant, déque suo (ùt fit) singuli addunt, exsurgit fabella: Colomanum creatum esse Episcopum, Sacerdotio initiatum, ad Canonicas preces damnatum. indè nomen, indè hallucinationes omnes. Quisquis igitur Varadinensium Præsulum primus fuit, Colomanus quidem certè non fuit. Ceterà sanctissimam hanc Sedem implebant hactenus, & ornabant Viri omni ex parte celeberrimi; natalibus, litteris, vitâ, ac famâ denique inprimis nominatissimi.

Quis modò sacrorum status sit, Varadini & Debreczinij, narravimus. Antiquis temporibus Bihariní Abbatia fuit Benedictinorum; alia item S. Gabrielis, ac demum B. MARIÆ Virginis in Szent-Jób. Debreczinum fovit Franciscanos. Ad Varadinum floruit insignis Præpositura Præmonstratensium S. Stephani Proto-Martyris de promontorio Varadinensi; ubi primum in Ungaria Ordo religiosissimus nactus est domicilium. Ad S. Joannis Baptistæ degebant Cruciferi & Moniales; aliæ in ipsa Civitate ad S. Annæ; Paulini demum in Kapolna, & ad S. Hieronymi. 125. *Loca Sacra.*

Apud Nobilitatem, & Cives idioma viget Ungaricum. Valachi montana colentes utuntur sua. *Lingua.*

126. Szattmarienſis *Comitatus.*

Szattmarinum universam denominat Regionem, cúmque vicino Némethi, unam conflat Liberam Regiámque Civitatem. Locus ad Samusium fluvium est, non omnino à munitione malè provisus; cultus deinde, & frequens. Adjacebat quondam & Arx, verius propugnacula terrea; quæ deinde seditio subvertit, relictis ibidem paucis incolis, & Jesuitis. Civitas Calvinianam habet Academiam. Altera Nagy-Bánya est, Regia perinde, ac scissuris auri Urbs memorabilis, clarétque ædificijs; sed inprimis cultissimo *Urbes. Arces, Castella.*

Societatis JESU Collegio, quod Ladislai Matyasovszki Nitriensium Episcopi & Regni Cancellarij liberale æs eduxit. Adde Felsô Bányam, Aranyos-Medgyesinum fortissima quondam cum Arce, Csengerinum item sua cum Arce, Erdôdium deinde, & Karolinum, de quo Gens Karolia se scribit, Arcémque colit; tum Gyarmatinum, Matocsium, & Tarpam. Suprema Comitum hujus Provinciæ dignitas, hæreditaria est Familiæ Karolianæ.

Suprem. Com.

127. *Loca Sacra.* Olim, cùm has partes sua pessumdaret contagione hæresis, una pro Domo DEI depugnavit Domus Karoliorum, semper ex animo Catholicorum. qui etiam PP. Societatis, plures per annos, apud se liberaliter habebant, & multis prosequebantur beneficijs. Transtulit deinde illos Szattmarinum Cardinalis Petrus Pazmannus, fundato Anno MDCXXXIV. pro ijs domicilio. Nunc Karolini PP. Piarum Scholarum adsitum templo Collegium servant, inducti à Comite Alexandro Karoli; qui etiam apud Kapolnenses suæ ditionis populos Ordinem Seraphicum voluit excubare. Szattmarinum incolebant pridem Franciscani, ab Elisabetha Regina Ludovici I. matre An. MCCCLXX. illati, Nemethinum Ordinis Prædicatorum Sanctimoniales; jam omnia Sanctis vacant.

Lingua. His in partibus omnes Ungaricam loquuntur; advenæ, utì sunt nonnulli Suevorum, suam; & Valachi Valachicam.

128. Ugocsensis *Comitatus.* Coronatum Ugocsiensium terrarum nomen ab Arce Ugocsa descendit. Provinciola est modicis circumsepta limitibus. Oppidum in ea princeps Nagy-Szôlôsinum, veterem, eámque splendidam Prinyirum complectitur Familiam. Quorum pariter est Arx Királyháza quondam ornatissima. Adde his Oppidum alterum Holmi. Reliquæ Comitatûs partes quà Civilibus, quà externis afflictæ bellis, ornamenta amisêre sua. Sunt tamen isthìc quidam pagi,

gi, qui negant se ullum habere fundum ignobilem; ut: Begeny, Farkas-falva, Tivadar, Forgolány; adeóque se ad unum esse nobiles volunt. Supremum Comitem de Prinyiis unum Regio veneratur.

Szőlősslini ad Arcem Kanko celeberrimum con- 129. *Loca Sacra.*
struxerat monasterium laudata modò Gens Prinyiana D. Francisci Filijs; quod longo post tempore demolita est hæresis, interemptis omnibus, qui illud colebant, Monachis. Ferunt: cùm Turca Sirmio immineret, allatum isthuc Semplinio argentea in cista Divi illius Capistrani Joannis Corpus; &, dum armis Calvinianis Cœnobium impeteretur, fonti cuipiam cum ceteris Templi gazis injectum. Quòd si res ita se habeat, næ Ugocsia tellus maximam Ordinis Seraphici gloriam sinu complectatur. Illud certum: facta per Magn. Leopoldum cum Turcis pace; diu, magnóque labore cælestem illud thesaurum quæsitum à PP. Ordinis Provinciæ Austriæ; sed cassa opera, ob diffusas, immanésque ruinarum strues. Ceterùm iterata Calvinistarum confessione tenemus: visas sæpe etiam illis ipsis ad vetus Asceterij Templum splendidissimas fulgentium Monachorum supplicationes, nec sine metu & admiratione. Hodie Szőlősslini pauci habitant Franciscani.

Ugocsio Lingua est Patria. Tamen fortasse & *Lingua.*
Valachica apud quosdam auditur.

Maramarosienses plagæ ad Podoliæ Transsilvaniæ- 130. Maramarosiensis *Comitatus.*
que alpes diffusæ, à loco Marmaros denominantur; & ut frigore, ita solido incola abundant. Principem Comitatûs hujus sedem dicunt esse Hustum, prælatæ impositam rupi Arcem fortissimam, cui Oppidum subjacet, geminis S. Catharinæ & S. Elisabethæ Viduæ Templis insigne. Szigetum etiam inter nobiliora censetur Oppida, deinde Hosszú-Mezŏ, & Ur-mezŏ, latinis longus, & Dominorum campus. Alij & Kővariensem adijciunt Provinciam cum munitione id nominis. Præsidet Comitatui Maramaro-

Supr. Com. sienſi cum jure Supremi Comitis Joſephus Bethlehem Comes Tranſſilvanus. Kovarienſium Præfectum (Capitaneum dicunt) agit Joan. Teleki.

131. Loca Sacra. Suos regebat Abbas Religioſos in Poroſzló; Paulini famulabantur DEO in Marmaros. Hoc tempore ferè ubique Græci ritûs Sacerdotes ſunt; in Huſt pauci filiorum S. Franciſci.

Lingua. Communis Genti Lingua eſt Ruthenica, & Valachica, quæ adeo omnibus dominatur, ut & in Nobilibus, quorum cenſum facilis inibis, corrumpat Ungaricam. Præſidio Huſtenſi eſt Germanica.

132. Torantalienſis Comitatus. Torantalienſis Comitatus mutatis quibusdam elementis ab Oppido Thur appellatur. Quod quidem unum nominâſſe ſuffecerit: quoniam nos nec pedibus terras has luſtravimus; nec quidquam narratione, aut litteris de ijs accepimus. Qui plura volet, agrum hunc, per nos licet, adeat: candidas illi advovemus rotas, avésque bonas.

133. Szabolcſenſis Comitatus. Szabolcs, unus è ſeptem Ungariæ Ducibus, has ſemet in partes tranſtulit, Arcémque de ſuo dictam nomine poſuit; quod communicata deinde appellatione toti adhæſit Comitatui.

Oppida, Arces, &c. Excrevit mox Arcem propiùs, & Oppidum tam illuſtre, ut Divum Ladislaum Regem, Comitiáque Regni univerſa non incommodè caperet. Aliud eſt Varadinum minus (Kis-Várda) Szabolcſenſium Nobilitate admodum refertum. Kallovia tertium occupat locum caput Oppidorum Hajdonikalium, ea ſunt: Szoboſzló, Beſzermény, Nánás, Dorog, Hatház, & Vámospércz, quæ à Mathia Corvino libertatem conſecuta hoſtes à Patriæ finibus propulſabant. Hìc pariter ornatum faciebant Ecſedinum medijs in paludibus mirabili prorſus arte extructum; Báthorinum deinde duplex; cultiſſima loca omnia, Báthoreæ Magnæ Domûs deliciæ quondam, & munimenta. Sed Arces omnes, utì & antiquiſſima illa Cſáge, ſive Cſág-Vár, unde nomen Inclytæ Cſákiorum Familiæ, pari fato concidêre; exſtan-

te

te adhuc Kis-Vardienſium munitione medias inter aquas natante. Comes loci Supremus eſt Nicolaus è Comitibus Zichijs, cujus modò vices obit Georgius L. B. Ghylányi. *Supr. Com.*

Inter ſanctiora Szabolcſenſium loca, ſanctiſſima eſt ædicula illa Pŏcſenſis, quam pretioſiſſimis decoravit lacrimis imagini impreſſa Cœlorum Imperatrix Anno Milleſ. ſexenteſ. nonageſimo quarto, quæ hodie in maxima Viennenſium Baſilica, principe in Ara colitur; colitur tamen & in Ungaria, pluribúsque mortalium millibus vetus ejusdem habitatio, ſolennibus quotannis frequentatur ſupplicationibus. Báthorini deinde habitant Minoritæ Catholicorum Nobilium munificentiâ inducti; quos Báthorij olim fovebant. Paulinorum Aſceterium in Eſzenad Tibiſcum ſtabat. Erant etiam in utroque Báthor operis præclariſſimi Templa, Regiam ſuorum Fundatorum liberalitatem loquentia; & in antiquiore quidem condebantur initio Báthorij ad uſque Andreæ tempora, qui ſubinde in Nyir-Báthor novum condidit Mauſolæum. Atque in priori illo Anno Milleſ. Quadringenteſ. nonageſimo tertio Magnus ille Stephanus Turcarum debellator, loci ſancti Fundator depoſitus eſt, cujus Viri ſanctimoniam perpetua inter bella nunquam læſam, teſtatur incorruptum in hanc diem corpus. Accepi à Viro religioſiſſimo, qui non vidit modò, ſed ſcrutatus quoque diligenter omnia eſt, manibúsque contrectavit ſuis: eſſe omnino Stephani hujus corpus integrum parte omni, barbâ ipsâ, & capillitio extantibus; duos præterea ex eadem gente nævi omnis expertes ibidem ſe vidiſſe, Virum alterum, Virginem alteram, teſtatus eſt. 134. *Loca Sacra.*

Szabolcſenſis Comitatûs tum Nobilitati, tum plebi ſola & una Ungarica eſt lingua. *Lingua.*

De Maramaroſienſibus dictum ſupra, ubi Kŏvarienſium quoque meminimus. Reſtat brevì, cenſeamus reliquas Dacis conterminas Ungariæ plagas. Sunt autem 135. *Adjacentes Tranſſilvanis plagæ.*

Kraſznenſis Comitatus. autem: Provincia Kraſznenſis, cui nomen à fluvio Kraſzna, qui etiam ſuam Oppido tribuit nomenclaturam. Quod ſequitur: Somlyó cum Arce, in qua editus eſt & Stephanus Báthori Magnus ille Poloniarum Monarcha; & Sophia Principum Matronarum Phœnix. Præeſt parti huic cum authoritate Comitis C. Sigismundus Bánffi.

Supr. Com.

136. Szolnokienſis Comitatus. Szolnokienſis medius, alijs mediocris, Comitatus pariter Tranſſilvaniam attingit, continétque Oppidum cum Arce Hadad, de qua genus Veſelényianum; ex quo etiam Regioni moderatur Comes Stephanus Præſes Statuum in Tranſſilvania. Porrò Ditio hæc Mediæ nomen eò habet, ut diſtinguas à Szolnokienſi exteriori, & interiori; quarum illa Tibiſco adhæret, hæc in Dacia eſt.

Supr. Com.

137. Zarandienſis Comitatus. Ab Oppido, aut Arce quapiam Zarand Zarandienſibus obvenit denominatio. Veteres, eásque celebres Kőrősbányæ poſſidebat auri ſciſſuras, multùm tempore Zapoliorum à Barbaris incommodi paſſas. Numerat adhæc in ſuis munitionem Borosjenő, item Halmágy cum Arcula muro & fluvio circumdata. Supremum Comitem habent L. B. Michaëlem Száva.

Supr. Com.

138. Békeſienſis Comitatus. Adde Zarandienſi Provinciolam Békeſienſem, utpote adnexam. Nomen accipit ab Oppido Békes. Supremo Comite gaudet Jacobo Lövemburghio Cameræ Aulicæ Conſiliario primario.

Supr. Com.

139. Loca Sacra. Quæ hìc Numini devota cenſeam loca, ad manum habeo nulla. Extra dubium eſt, integris adhuc Ungarorum rebus, his quoque in partibus ſuum habuiſſe ſuorem religionem. Verùm & Turcæ & Tartari, & Tranſſilvani ipſi Principes heterodoxi, utì terras has, ita Religioſorum domos, Templáque Divorum, verterunt, & everterunt.

Lingua. Unde etiam tantum in linguis chaos à diverſitate gentium, occaſione bellorum, & tumultuum, ſive tranſeuntium, ſive hìc ſedes figentium, multas ut loquan-

quantur, probè nullam. Sed satis querelarum. Septemtrionem ingrediamur, terras nobis magis notas, magis amicas; ubi apertiora plurima & multò jucundiora, quàm in Oriente & Meridie.

§. V. *Ungariæ Septemtrionalis Comitatus.*

Beregiensis, quandoque Beregszásziensis Provincia Septemtrionem aperit nobis, temperatissimásque in plagas iter pandit. Nomen ei nobili ab Oppido Bereg, cui adjcitur Szász eò, quòd colonia fuerit Saxonum: Saxo enim Ungaris Szász dicitur. Habet Comitatus ditionem Munkacsiensem ad trecentos pagos numerantem, præter Arcem cum Oppido; quorum Dominus, Dux quondam Munkacsiensis audijt. Arx ipsa & famâ, & cultu, & structurâ, longè, ac dici possit, celeberrima; jacet in monte ad Latorczam fluvium, patentibus circum undique campis conspicuo, eóque altissimo. Atque hinc ardua semper & perquam difficilis accidit Oppugnatio Arcis Munkacsiensis; cùm nullus, ex quo quati posset, exurgat in vicino mons. Arx porrò in Septemtrionem sublimis est, habétque profundissimas viva ex petra, incredibili labore & sumptu excisas fossas. Author operis tanti est Theodorus Keriatovichius ad Annum MCCCLX. sub Ludovico I. Dux Munkacsiensis. In hac descendit fons ille nominatissimus, domito pariter invictâ constantiâ saxo, & supra quinquaginta orgias excavato. Arci huic meridiem versus, alteram addidit Annus Milles. sexcentes. vigesimus octavus, * & palatia multiplicavit. Tandẽ Añus Milles. sexcentes. trigesimus adjecit tertiam. Utraque septem numerat propugnacula & altitudine & soliditate eximia. Geminas has Arces æs Rakocziorum condidit. Ex quibus Franciscus radicem montis terreis aggeribus, adductâ etiam de Latorczæ fluminibus aquâ, circumdedit Anno MDCCVI. quæ tamen munitio ex parte in ruinã propulsa, sensim interit. Oppidum divellitur ab Arce hac ferè spatiô unius horæ, à Theodoro Que-

Oppida, Arces.

* *Patet ex inscriptionibus Arcis.*

rentiano Principe Rutheno Annum circiter Milleſ. tercenteſ. quinquageſimum muro vallatum, cujus hodie ne veſtigia quidem. Amplum eſt, pluribúsque habitatur Nobilibus; à ſplendore tamen veteri nimium quantum deflexit, afflictum per bella, & tantùm non deletum. Caſtellum habet operis magnifici; ad quod viridaria, Regio olim cultu nitentia, modò propemodum deſerta. Reliqua Oppida plus nominata ſunt: Muſai, Vári, Királyháza, Helmecz.

Supr. Com. Supremus loco Comes præſidet Joannes Szentiványi, Tabulæ Regiæ L. B.

140. *Loca Sacra.* Trans Latorczam amœno in colle Abbatia S. Nicolai Græci ritûs Munkacſienſe deſpectat Oppidum. Habet adjunctum Cœnobium Baſilianorum. Utriusque Fundator idem Theodorus, qui Arcis primæ. In adverſo monte ex parte Oppidi poſuerat Baſilianas Uxor Theodori Dominica; modò hìc lapis & ruina. Beregſzáſzini florebant Dominicani, & ejusdem Ordinis Sanctimoniales; eripuit ijs domicilia & vitam hæreſis Anno Milleſ. quingenteſ. quinquageſimo ſexto. Idem preſſit fatum & Franciſcanos, & Paulinos. Degebant & Jeſuitæ tum in Arce Munkacſienſi, tum in Oppido, pluribus ſub Principe Sophia Báthoria annis, & ſtrenuam in reducendis heterodoxis navabant operam. Hodie præter Baſilianos, eodem in colle habitat pariter ejusdem ritûs Epiſcopus, qui Romano obaudit Pontifici, vicémque ſupplet apud gentem Ruthenam Antiſtitis Agrienſis.

Lingua. Nobilis, & Civis Ungaricam nôrunt; qui rus colunt, montésque occupant, Ruthenicâ ſermocinantur.

141. Ungenſis Charitum Patriam ingredimur, dum agrum Ungenſen. Nomen ei à fluvio Ung, qui in montem impingens, bifariam ſectus, mox eundem cingit, plenámque Inſulam facit. In hac Inſula, hujúsque in

Oppida, Arces, &c. montis editiori loco conſtructa eſt Arx Unguarienſis Drugethorum de Homonna Comitum delicium, &

Sedes

sedes gratiarum. Alia est interior, in qua quadripartito ordine palatia, alia alijs pulchriora circumibant. Exterior altera quinis firmata propugnaculis, quæ præaltæ fossæ, atque aquæ muniunt præterea. Reliquum montis Oppidum occupat omni ex parte olim cultissimum; jam humile, & magnam partem vacuum. Ornatur tamen Collegio Societatis JESU Homonnajano, & Nobili Litterarum Gymnasio. Templi Fundatricem, quod nunc Patres moliuntur, venerantur Sophiam haud ita pridem laudatam Principem Báthoriam. Addiderat Georgius Milith Baronum Ungariæ piissimus Seminarium quoque pro Clero & Adolescente Nobilitate, Cassoviam deinceps translatum. Oppidum pariter est cum non ignobili Arce Szeregnya; Vinna item, in qua complura Nobilium Castella, & Arx in prærupto monte; Palóczinum deinde suo cum Castello; geminum item Kaposinum populo exundans; aliáque minoris famæ Castella, Arcésque dirutæ. Supremi Comitis munus Josephus è Comitibus Szentiványi habet. *Supr. Com.*

142. *Loca Sacra.* Binis in Claustris serviebant Cœlo hac in parte Paulini: alij Unguarini ad ædem Corporis Christi; alij propiùs Szeregnyam in loco Ville dicto; hoc tempore neutrum habent. Nec omittendus fons ille D. Stephani, qui vicino Unguariensibus in monte scaturit, quò ad ejusdem Divi honoribus erectum Tempellum, copiosa hominum multitudo religionis causâ accurrit.

Linguæ. Plana Unguariensium Linguâ utuntur Patriâ; montana Ruthenam loquuntur.

143. Saárosiensis *Comitatus.* Ornatissimos totius Ungariæ populos Saárosienſi in plaga convenimus. Arx quandam Urbis desertæ speciem præseferens suo eam nomine honorat. Vetustissimam esse oportet, quam utpote Bela II. dicitur inhabitâsse. Adjacet Arci Oppidum ejusdem nominis non omnino inelegans. Ternis Saárosienses gaudent Urbibus Regijs Liberísque: Eperiesino, cui lo- *Urbes, Arces, Castella.*

cus fragorum fertiliſſimus denominationem impertit. Initio Dominos colebat ſuos, qui Comites Eperieſienſes appellabantur; extinctâ Familiâ in libertatem ſemet aſſeruit, & Annum circiter MCCCC. Regia renunciata, cùm jam ſex ante annos muro incincta fuiſſet. Crevit deinde & ædificijs, & incolis nobiliſſimis, & denique munitionibus. Quatterna Civibus templa: medium occupant D. Nicolai, quod Germanicum dicunt; & Ungaricum aliud minus Deiparæ ſinè labe conceptæ conſecratum. Ad hoc domus hæret Sociorum JESU, quos Anno Milleſ. ſexcenteſ. tertio ſupra ſeptuageſimum miles Cæſareus induxit, commendatâ ijsdem animarum curâ. qui etiam utroque in Templo rem faciunt Divinam. Ad latera diſcedunt hinc quidem Minoritarum S. Joannis Baptiſtæ; indè Patrum ſtrictioris obſervantiæ. Eccleſiam hanc adjunctúmque Monaſterium funditus per Lutheranos ſubverſum, multò meliorem in formam reſtituit Franciſcus L. B. Klobuſiczki, & Hæredes tanto Parente non indigni. Illud auxit, & ornavit Magnus Conventualium Patronus Alexander Keczer. Jeſuitas porrò diverſorum Catholicorum, ſed in primis Ladislai Matyaſovſzkij Nitrienſium Epiſcopi ſtabilivit beneficentia. Altera Urbium Bártffa eſt. Putatur à Carolo I. ædificata ad Annum Milleſ. trecenteſ. vigeſimum quartum; ego auctam ajo & ornatam: quoniam templum D. Ægidij cum turri exhibet ſe jam ſtetiſſe Anno Milleſ. ducenteſ. vigeſimo primo. Cincta muris, pro more veterum, eſt Año Milleſ. tercenteſ. quinquageſimo ſecundo; Regia tandem nominata à Ludovico I. Anno ſeptuageſimo ſexto ſupra tercenteſimum milleſimum. Civitas haud magna, excreſcit tamen amplis ſuburbijs. Includit PP. Seraphicos, quibus Templum Præcurſoris Chriſti. Cibinium tertia eſt, Urbecula anguſtis limitibus & muris deſcripta; verùm culta, & amœniſſimo in loco. Narrant Cives vetuſtatis diligentiores: villam

Iam hìc fuiſſe Sabinæ Belæ IV. Filiæ, ad quam animi causâ divertere amabat. Et hinc Civitatis primordia. Atque omnino facit huc ipſum nomen Sclavonicum *Sabinov*, quod à Sabina derivatur. Jam autem qua anagrammatum lege in Cibinium tranſierit, non habeo dicere. Oppida adhæc numerat: Sebeſinum uno cum Caſtello; Kapivarinum cum duobus; cum tribus Zborovium in longum diffuſiſſimum; & Sovarinum. Arces deinde præter Saároſienſem, ſpectavit Makoviczam, Capivarium, Hanuſs, Pech-Ujvár, Tarkô, omnes nobiles, veteri hodie ingementes fortunæ. Eſt tandem Caſtellum in Tarcza, & gemina in Tôlcſik, & plura Nobilium ſparſa per pagos majora ædificia. Officio Supremi Comitis fungitur Comes Thomas Szirmai. *Supr. Com.*

Retuli quædam in deſcriptione Urbium Divino mancipata cultui loca; reſtant nonnulla: Sebeſienſe videlicet S. Franciſci Cœnobium, opus Catharinæ Forgách. Mirum dictu! quoties quis hac de domo, in alteram æternitatis migraturus ſit; toties in Templo, vel ſicciſſimo tempore, aliquot ante obitum diebus, marmor conditorio vitâ functorum impoſitum, præter morem exſudat; quod longa plurium annorum experimenta confirmant. Poſſident adhæc Saároſienſes ſuis in finibus Scepuſium versùs fontem ad D. Annæ, multis magnísque prodigijs illuſtrem, & frequentiſſimis tum incolarum, tum advenarum religionibus celebrem. Fuit quoque & Saároſini & propiùs Bartffam Monaſterium, ſed quorum Ordinum, incertum. 144. *Loca Sacra.*

Sicubi in Ungaria, hìc certè linguarum confuſio familiaris, & domeſtica. Nobilitas Ungaricam callet; mixtio ex Sclavonica, Polonica, Ruthenica, & Ungarica in populo regnat. *Lingua.*

Magnificam, amplámque Ungariæ partem Scepuſienſi in terra mirabimur. Arx ſaxeæ impoſita moli, 145. *Scepuſienſis Comitatus.*

nec, nisì fortaſſe, quâ Meridiem reſpicit, acceſſu facilior, partem hanc Regni denominat. Unde autem ipſa Scepuſium dicatur, inter Authores non convenit. Duplex eſt: Septemtrionalior aſſurgit, Meridionalior paullum humilior; valida utraque, ſed magnis paſſibus in ſenium properat. Deſpicit nobile Oppidum Várallyam; & Capitulum Scepuſienſe in colle paullum diſſito intuetur; quod ædes Præpoſiti & Canonicorum, cum habitatione Jeſuitarum, ac D. Martini elegantis ſtructuræ Templum, muro obvallat. Altera Regiarum Civitatum eſt Leuthovia, altera Keſmarkinum; utraque ſuos Genti Saxonicæ probabiliùs debet natales. Et Leuthovia quidem jam Anno Milleſ. ducenteſ. ſeptimo, nisì fictus ſit interiori Templi Civici parieti inſculptus annus, ædem hìc loci ſacram frequentavit. ut adeo poſt Annum Milleſ. ducenteſ. quadrageſimum quintum non naſci, ſed renaſci, augeri item, & ornari ceperit. quæ etiam procedente tempore muros accepit, & titulum Urbis Regiæ. Jacet in monte, ſed quia depreſſiore, alios in coronam poſitos, velut ſuperiores circumſpicit; hinc ſitu amœna, aëre ſalubris habetur. Quod ædificia ſpectat, digeſtæ ferè in quadrum domus ordine non inconcinno, ampliſſimum efficiunt forum, commodiſſimúmque vel Jove madido circumeuntibus præbent iter ſubſtructi ædibus fornices. Eſt in numero ædium & Collegium Societatis à Georgio Szelepchenio Archi-Epiſcopo fundatum; & Ordo Conventualium; & Convictûs Nobilium, munus Georgij Szécsénij ſimiliter Strigonienſis Archi-Epiſcopi. Fori medium, prælta cum turri Urbanum obtinet Templum, veteris formæ altaribus effulgens, organo item muſico, & ſuggeſtu divite ſuperbum. Colitur iſthìc DEIparentis ſtatua à præſepio dicta, quam velut Palladium Divinius, metu hoſtium, in Curiam abdiderant Cives Catholici; quam deinde, omnia alia quærentibus Senatoribus, nihílque tale cogitantibus, abſtru-

Urbes, Arces, &c.

Leuthovia.

ſtruſiſſimo è loco, in lucem protraxit Annus Milleſ. ſexenteſ. nonageſ. octavus. nullo, quod jure mirêre, aut vitio labefactatam, aut pulvere etiam leviſſimo inſperſam. Fanum etiam Societatis JESU eo ornatu eſt, ut cum Baſilicis bellè comparatis in certamen poſſit venire. In Benefactoribus principe ſedet loco Melchior Paurnfeindt Urbis Parochus.

146. *Keſmarkinum.* Keſmarkinum; nonnullis Cæſareopolis, ſed à quo tandem Cæſare, nondum aſſecutus ſum; ternis adſitum undis, non fertili modò, ſed longè jucundiſſimo loco eſt. Orſi ſunt veroſimilius & iſtud Saxones, ínque urbis fortunam denique protulerunt. Incingitur muro turribus interſtincto, & foſſa haud multùm profunda. Inter ædificia eminet medio in foro Senatorum Curia ſpectabili cum turri. Ineſt illi Baſilica S. Crucis, in qua veterem omnia pietatem ſpirant & magnificentiam; minora item bina alia templa. Adminiſtratio Divinarum rerum eſt penes candidiſſimum Paulinorum Ordinem. Haud procul ab Urbe, Regijs prorſus inſtructa palatijs, Tôkôliorũ præſertim ære, Arx exurgit. Felix quoad Dominis ancillaretur ſuis; ubi autem juris Civici facta eſt, ínque poteſtatem Keſmarkienſium conceſſiſſet, miſerùm detioruit. Civitas quippe, velut malorum ſuorum Iliadem, Arcem hanc oderat, ornamentáque ejus ſua reputabat detrimenta.

Unde Tôkôliis opes. Sed quoniam de Tôkôlio incidit mentio, fortaſſe non abſque re narrabimus, quod nullis hactenus litteris legimus conſignatum: ex quo etiam pateat, quibus artibus partæ illæ pecuniæ, quas immenſas Sebaſtianus in emptionem, exornationémque Arcis Kesmarkienſis impendit. id autem ſic habet: Sebaſtianus, quem modò dixi, Tôkôlius, humili natus loco, ſed vafro ingenio præditus, & ad audendum quidlibet prompto, parato; mercaturam initiô equorum faciebat, quorum etiam causâ Tranſſilvaniam petijt, & ſæpius repetijt. Hìc, quia Provincia libera, & Turcis

patebat, incidit forte in Præfectum ejus gentis (Baſſam nominant) hominem prædivitem, & multæ apud ſuos poteſtatis; quicum dum frequens, ac pro more iſtorum, politius, quàm ſincerius agit, in affectum demum animúmque Præfecti ſemet infert. Stabat jam id loci apud Turcam Tôkôlius, ut ſecretiora quoque ei pandere conſilia non dubitaret. Ergo, quâ, incertum mihi, occaſione, aperit mentem Turca: ſua ſe fluctuare in religione, nocturnis ac diurnis animi procellis quati, nec quietem ſperare ullam, nisì in portu doctrinæ Chriſtianæ; ad quam, ſibi de fama duntaxat notam, vehementiùs ſemet propelli ſentiret. Sed enim obſtare multa: habere uxorem, liberos, opes ampliſſimas; quæ, qua ratione in tuto ponantur, id enimverò ſibi moleſtiam creare; nec conſilij aliud ſupereſſe: quàm ut fidiſſimo cuipiam fortunas credat omnes, alto ſub ſilentio, pérque intervalla in Ungariam aſportandas, quas ſequeretur demum ipſe, quô deſiderijs potiretur. Et ſiquidem id è voto caderet, nunquam beneficij victurum immemorem; quin in loco Fratris habiturum, qui auxilio adeſſet, & opibus auctorum ſuis. hæc Turca lacrimans, & barbam tangens: id genus jurisjurandi in uſu illis. Audit Tôkôlius, & ſe continuò ab obſequijs offerre; jurare per Deos Superos, nihil eorum velle committere, quæ fraudi forent tanto Viro; quin paratum, ſi res depoſcat, mortem pro Patrono oppetere. Juberet modò, & vellet, ſe ad amuſſim facturum omnia. Credit Turca ſimplex homini nullius fidei, & quid porrò agendum edocet; quódque ad manum æs habet, auferendum tradit; diémque ſignat, quâ rurſum in Tranſſilvania adſit, opes alias elaturus. Et Tôkôlius quidem non impiger itabat, gazámque Turcicam in Ungariam importabat. Jam, cùm eò rem ſentiret deductam, brevi ut ſuas Turca inſequeretur pecunias; Tôkôlius, ſtupeant Chriſtiani, & facinus deteſtentur! crudelis homo, Præfectum innocentem, nec tale aliquid

aliquid metuentem, per certos indices apud Præfectum alterum meditati transfugij accusat; vitáque, elisa per Turcas cervice, Barbaris immanior, spoliat. Atque hinc illæ Tôkôliorum divitiæ, egregiis scilicet artibus conquisitæ, quibus Sebastianus à stabulo in palatia, ac demum per nepotem Emericum etiam in coronas ausus est grassari. Sed enim vindex DEUS non tulit diu infandum scelus; extinxit opinione celeriùs, quàm æternam sibi promittebat Sebastianus, hæreditatem; ibíque barbaras inter ærumnas ultimum emori voluit, ubi sacrilegus Familiæ Fundator in Christi, legésque naturæ deliquerat. Rem ego hanc, quemadmodum retuli, duodecim abhinc annis, dum in origines Familiarum inquirerem, ab emerito, nobilissimóque Scepusiensium Viro didici, cui amica interceſſerat consuetudo cum quodam Nobili altero propemodum nonagenario, qui in aula Stephani Tôkôlij diu, multúmque versabatur, ipsúmque Sebastianum adolescentior noverat, probéque ejus gentis abdita omnia habebat in comperto. qui etiam addidit: ortum ex Polonia Sebastianum, nomen sive immutâsse, sive vitiâsse. Sed revertamur, & orsam prosequamur telam.

Urbes Regias partes reliquæ comitantur: Arx Lublovienſis cum tredecim Oppidis; tum geminæ Dunaveczenſis & Podolinenſis Arces; tredecim item Oppida Arci Scepusiensi obnoxia, ampla; pulchráque Csakiorum ditio. Castella deinde: Batisfalvense, Nehrense, Toporcsense, Fridmanyense, Csaunikense, Bethlehem-falvense, Marcus-falvense, Gôrgôiense ab Arnoldo de Garga Anno M.CCLXX. Comite Saxonum, ex quo Familia Gôrgôiana; quam unam ego de veteribus illis Saxonibus Szepusiensi adhucdum extare in terra arbitror. Sunt & Oppida præterea, & Castella complura, quorum catalogum ratio compendij non sinit texere: pro solenni quippe suo Nobilitas Scepusiensis & habitat splendidè, & vivit libe-

147. *Oppida, Arces. Castella.*

raliter. Post hæc venit Sedes Decem Lanceatorum, quattuor & decem locis definita. Nomen incolis indè: quòd Lanceatos oportebat sequi Regem in pugnam prodeuntem, eúmque salvum ac incolumem bono publico conservare. *Supr. Com.* Jus, dignitásque Supremi Comitis hæreditaria est Domui Csákianæ, qui Comites Terræ Scepusienſis coluntur.

Ceterùm plaga hæc quanta quanta est, ditionis fuit Polonicæ, addita Ungariæ à Boleslao Gentis Rege in dotem, cùm ejusdem Filia conjungeretur Stephano Filio Regis Colomani Anno MCVIII. Imminuit eam Sigismundus Anno MCCCCXII. quando Lublovienſem Arcem cum tredecim Oppidis Uladislao Jagelloni fiduciæ loco, pignorísque dedit.

148. *Loca Sacra.* Non magnifica modò, cultáque est Scepusienſium Terra; sed sancta in primis, atque religiosa, siquidem retroacta spectes tempora: tot námque hac in parte una Famulantium DEO assurgebant Ordines, quot in alia nulla. Ferunt: eo in concursu, qui Anno Millesſ. septuagesimo octavo, dum corpus D. Regis Stephani Albæ-Regalis levaretur, à quopiam Eremitarum prodigiosam illam dexteram pio furto subreptam, hásque in partes translatam, & ad radices Carpati constructo Monasterio honorificè habitam; quod etiam S. subinde Ladislaus & invisit, & instauravit. Abbatia Cistercienſium de Casa nova fundata est Millesſ. centesſ. quinquagesimo; altera eorúndem in Schavnik, sive de Candelis, Millesſ. ducentesſ. decimo sexto. tertia S. MARIÆ Anno Millesſ. ducent. vigesſ. secundo. In Landek alij Cistercienses, Præmonstratenses alij ponunt. In Arce Scepusienſi ad D. Elisabethæ Augustini accubabat Ordo; Franciscanus item; qui & sub Arce, & Leuthoviæ excubabat. In Lapide refugij ad S. Joannis Baptistæ, in Valle item S. Antonij ad Lechnicz, cui nomen Claustrum rubrum, meditabantur Carthusiani. In Sztraska suum dicuntur habuisse Conventum Crucigeri; qui fortasse &

Huns-

Hunsdorffij vigilabant. Sunt Monasteriorum rudera in Riknò ad Krompach; Dravecz; Vilniczæ; Stolnæ prope Batisfalvam, quæ etiam nominatur Stola S. Joannis Baptistæ; sed quorum Religiosorum, incertum. Legitur etiam Moniales habuisse Kesmarkinum; immo & ipsa Scepusiensium Arx magnum Monasterium fuit appellata. Hoc tempore in Lechnicz Claustrum rubrum incolunt Calmaldulenses beneficio Ladislai Matyasovszky nuper laudati Antistitis; Quintoforum Conventuales; Podolinum PP. Piarum Scholarum.

149. *Beneficium Corporis Christi.*

In hunc reposuimus locum Sacellum illud à cultu, & arte dignum omnino admiratione, quod in Capitulo Scepusiensi occidentali Divi Martini ædis lateri adhæret. Eduxerat illud Stephanus Zapolya Pro-Rex Ungariæ, & honoribus velati sub pane DEI consecraverat. A morte mariti Hedwigis Dux Theschinensis Matrona incomparabilis, mater & Joannis Ungariæ Regis, & Barbaræ Poloniarum Reginæ, singulari locum auxit Beneficio Anno MDX. quô ejusdem Numinis cultum faceret perennem. Occasione cujus, non extra orbitam divagabimur, si retulerimus prodigium illud, totâ id temporis Ungariâ notissimum, & ab Istvanffio * Annalibus illatum; & est hujusmodi: Joannes Hedwigis Filius, Transsilvaniæ Vajvoda, susceptо adversus Cruce signatos perduelles bello, dum feliciter quidem, sed crudeliter sanè, sontes juxtà ac insontes armis persequitur, & trucidat; nullo ætatis aut sexûs habito delectu: confecto ex animi sententia bello, sensit ultricem DEI manum, quæ biennio ipso, sævo homini Eucharistiam, dum ea à Sacerdote rem Divinam faciente populo exhiberetur, subtraxit, illam ut videre nequiverit. quam deinde pœnam multis lacrimis precibúsque, ac magnis largitionibus redemit Mater, DEI & Filij amantissima. Ite nunc peregrini errores, & Catholica sub Eucharistia nihil subesse Divinum buccinate! hujus

* *Istvanf. L. 6.*

adversùm vos Sacelli saxa clamabunt & parietes; punitio hæc tragica impudentiam condemnabit vestram.

Lingua. Scepusienſium Nobilitas callet Ungaricam; Cives, & Oppidani plerique omnes veterem Germanicam, ſive Saxonicam; quæ etiam pagatim auditur, utì & Polonica & Sclavonica.

150. *Liptovienſis Comitatus.* A Liptovia, utì fertur, quæ modò Lipcſa, Liptovienſi Comitatui, quandoque Ducatui, nomen eſt. Conditam à Germanis Lipcſam, non habeo, unde negem: præſertim cùm Theuto-Lipcſa paſſim appelletur. Ipſa fuit Provinciæ caput; ſed hodie ſpectabilior eſt Roſenberga, in monte roſarum ferace collocata. Jungitur iſthìc Caſtellum Oppido, modicum illud, ſed loco peramœnum. Reliqua Oppida ſunt: Verbicza, S. Nicolai, S. Joannis, & alia famæ minoris. Lipto-Ovár celebris quondam Arx, ſed multò celeberrima Likava fuit; veterem jam utraque nobilitatem nequidquam deplorat. Supereſt Liptó-Ujvár florens, ſuásque etiamnum oſtentans delicias. Nobilium Caſtella plura vagi fluxu delectantur, quæ ſigillatim cenſere tædio non vacat. Comes Joſephus Illésházy, velut ſupremus, Jus Comitatui dicit; quod munus Illuſtri Familiæ eſt perpetuum.

Oppida, Arces, &c.

Supr. Com.

151. *Loca ſacra.* Habet Præpoſituram B. Virginis de Liptó, vetuſta ac nobili Eccleſiâ famoſam. Okolicſnam induxit Seraphicos Familia Mattyaſovſzkiana fundato pro ijsdem Cœnobio. Ingreſſi anno hoc Roſenbergam ſunt Piariſtæ ope ac beneficio Comitis Lövenburghi. Mox & Socios JESU ſuos inter numerabit incolas S. Nicolaus, quos egregia in Patriam charitate inducti Illuſtriſſimi Præſules Georgius Ghilányi Epiſc. Tininienſis Anno abhinc altero tumulo illatus, & Joannes potiſſimum Okolicsányi Epiſc. Novienſis liberaliter fundârunt; & porrò pro Apoſtolico animi ſui ardore, etiam favoribus Domum proſequetur ſuam Joannes; quod ut diu poſſit, pro Parente optimo ſuppli-

plices Cœlo manus filij tollent. Olim ad fines Oppidi Lipcſenſis ad B. M. V. Doloroſæ PP. Franciſcani DEUM precabantur; Sorores D. Dominici ad S. Sophiæ, eo ipſo in loco, in quo nunc Caſtellum Roſenbergenſe, Cœlo ancillabantur.

Sclava iſthìc principe loco Lingua gloriatur; quamvis Nobilitas etiam Ungaricam, ubi res, tempúsque exigit, adhibeat. *Lingua.*

Arvenſis Comitatus ab Arva fluvio, utì & Arx ipſa inſignitur. Fuit hæc duplex: Superior altiſſimæ inædificata petræ; vetus, ùt fertur, Templariorum habitatio; ubi nunc parietinæ duntaxat. Altera inferior firma ſatìs, & culta. Juri hujus Provincia ſubditur univerſa, eíque obaudit uni. Digna relatu tria Arvenſibus Oppida: Velicſna, Kubinium, & Trſztena. Caſtella item nonnulla, ſed ſitu tabeſcentia. Supremum agnoſcunt Comitem Emericum Zichy. Quod de ſacris dicamus locis, habemus nihil. 152. Arvenſis Comitatus. *Supr. Com.*

Lingua gentis Sclavonica eſt; pars, quæ Poloniam attingit, ſuam cum vicina corrumpit. *Lingua.*

Etiam Turoczenſium derivatio à fluvio. Montibus coronatur exigua, ſed amœniſſima plaga. Supereminet Arx Znio, alijs quondam Turócz; nobile vetuſtis temporibus, amplúmque Ungariæ propugnaculum. Author operis eſt Andreas Forgách Vir militiæ domíque clarus, & Belæ IV. in prælio cum Tartaris inito, Servator memorabilis. In hanc Arcem Anno Milleſ. ducenteſ. quadrageſimo primo fugâ ex arena elapſus, ſe ſuáque intulit dictus Bela; móxque profugum ſimiliter ex Polonia Boleslaum hoſpitio accepit Generum, & fovit. Multata majori ſui parte eſt Arx illa, nec quidquam de ea reſidui, nisi ſuprema quædam, quaſi turris, ſed probè munita, & acceſſu perquam arduo. Subeſt Arci Oppidum Varallya, pro partibus illis haud inelegans. Altera Arcium Szklabina, tertia Blatnicza inhabitantur. Op- 153. Turoczenſis Comitatus. *Oppida, Arces, &c.*

pida florent: Szucſanium amplitudine; S. Martinus Nobiliũ Conventu; Moſſovia populi frequentiâ. Supremorum dignitas Comitum eſt Révaijs hæreditaria.

Supr. Com.

154. Loca Sacra.

Eſt haud longè ab Arce Turoczenſi & Oppido Varallya, Præpoſitura Præmonſtratenſium, cum Archivo Regni, fundata à Bela IV. Anno Milleſ. ducenteſ. quinquageſimo ſecundo, & à Stephano deinceps Filio cumulata. quam ſuis viduatam habitatoribus Rudolphus tandem II. Imperator Collegio Societatis JESU Tyrnaviæ excitando donavit. qua de Familia vivunt hac in Præpoſitura terni, ad ſummum quatterni; æternæque alimoniam vitæ præbent ijs, à quibus accipiunt temporariam. Anno proximè ſuperiori hi ipſi Patres ad radices montis Znio, pulcherrimo in colle Sacella, columnásque Divinioribus, acti in Crucem pro mortalium ſalute DEI-Hominis, Sacramentis inſignes adornârunt; quo Regionis mentem, Lutheri ut plurimùm pedicis implicitam, altiùs attollerent.

Lingua.

Quod Linguam ſpectat, ferè convenit Liptovienſes inter & Turoczenſes; hi tamen in Vriczko & Germanicam loquuntur, ſed quam vix Germanorum quiſpiam intelliget.

155. Trenchinienſis Comitatus.

Terentius Civis Romanus, aut ſi mavis Terentianus; turrim primùm, quæ in Arce viſitur, ſuo de nomine dixit; quod lapſu temporis in Civitatem ipſam, ac Provinciam omnem tranſijt. Arx eminenti in ſaxo vanos hoſtium deſpicit inſultus; hinc Vago, præcipitíque lapidis duriſſimi altitudine tuta; indè muro triplici, foſſis ſaxeis, multóque apparatu præterea ſuperba. Ornatus illi interior fuit is, qui Regulos deceret: incolebant quippe hanc ſummo in Ungaria loco natæ Familiæ, & quæ Regibus certabant. Hoc ipſo in monte Meridiem verſus jacebat & Civitas, quæ ad radicem poſtea deſcendit; fortaſſe, ut faciliùs defendi poſſet. Sed haud ſcio an oportuno ſatis conſilio: quoniam multa illi ab regi ignaro

Vagi

Vagi fluxu in dies damna, & plura pericula. Urbecula est modicè protensa, nitida tamen, & muro concluſa. Plurimum decoris nanciſcitur à Collegio Lippaiano, quod magnus ille Archi-Epiſcopus inſtituendis Ignatij Tironibus extulit. Anno Milleſ. ſexcent. ſexageſimo, latus Collegij Divi Indiarum Apoſtoli Xaverij Baſilica facit. ſi quod aliud, opus Apellea ab arte perfectum, ac elegantiâ multis Regnis nulli ſecundum. Splendet Domus quoque à Georgio Szecsénio Nobili Juventuti alendæ inſtructa. Extra Urbem latè diffunditur, ínque longum excurrit ſuburbium, domibus juxtà ac viridarijs expletum. Regiam Trenchinienſium Civitatem humilior ſequitur Beczkovienſium; protecta & illa muro, & Arce quondam ejus nominis. cujus origo eſt: *Origo loci.* Beczko, malunt alij Buczko, haud inficetus in aula Stiborij Principis Morio, dum omnes ingenij vires intendit, quò Dominum, convivásque, qui frequentiſſimi ad annuas Filij Principis nuptias ventitabant, liberalibus diſtineret ſalibus, risúque ſolveret erudito; tantam Stiborij inijt gratiam, plenam ut illi faceret poteſtatem, petendi, quod votis arriſiſſet. Beczko famæ æternitati proſpecturus, flagitavit ſibi Arcem poni eo in monte, quem ipſe deligeret. Flagitavit, delegit, Arcem Stiborius poſuit, Beczkoni habitandam donavit. Et tunc quidem paſſim Bolond-Vár, Romanè Arx ſtulta, vel ſtulti dicebatur; quæ pòſt nomenclatura, velut infamis, à poſteris repudiata eſt: perennis tamen, & vel in emortuis muris, ſubjectóque Oppido, quod ſenſim coaluit, memoria vigebit Morionis. Scilicet & hac ſempiternum poterit parari arte nomen. Illavia pariter Religioſam habet Arcem, cujus nempe partem Cœnobium componit Ordinis SS. Trinitatis, ubi ſuos ille exercet Tirones. Pruſzka non abſimiliter Oppidum ſingulare venuſtiſſima cum Arce. Deinde Budathin cum Caſtro ſuperioribus annis ad ſplendorem efficto. Similiter Letava, Lednicze,

nicze, Óroſzlánykô, Zaj-Ugrócz, Vág-Beſztercze, Bicſa, Ovár, Bán Oppida cum Arcibus; Sztrecſenienſis, Hricſo, Kaſzſza lugent deſertæ. Zolna Urbeculæ adinſtar fabrefacta, & Seraphicos PP. & Jeſuitas gremio tenet. Cives ſummam laudum à præſtantiſſimis caulibus conſecuti ſunt. Merentur adhæc nominari: Kiſzucza Ujhelinum, Puchovium, Rajeczium. Denique Caſtella: Dubniczenſe ad pompam inſtructum, Tepliczenſe, Zabladenſe, Kraſznyanenſe, Motoſiczenſe, & alia. Eandem perenni obſervantia in dignitate Supremi Comitis venerantur Familiam Illéshazianum Trenchinienſes, quam Liptovienſes.

Supr. Com.

156. *Loca Sacra.* De quibusdam ſacratioribus locis dictum ſupra, hìc cetera proſequamur: Pruſzkæ Franciſcani pſallunt, & Beczkovij; ijdem olim & ſub Caſtro Trenchinienſi audiebantur. Benedictini in Abbatia de rupibus concinebant, quos Jacobus Nitrienſium Antiſtes Anno Milleſ. ducenteſ. vigeſ. quarto plantavit; Bela autem IV. annis poſt quattuordecim liberalitate rigavit. Locus à ſitu delicijs plenus, ab incolatu SS. Andreæ & Benedicti, mortéque pretioſa, ſanctus eſt & venerabilis.

Lingua. Nobiles Trenchinienſium Ungaricè loquuntur; Cives & plebs Sclavonicè; Zolna effert ſeſe, & delicatiore quapiam utitur dialecto.

157. *Zemplinienſis Comitatus.* Si qua Ungariæ, Zemplinienſium ſanè Regio terrarum amplitudine, Cœli temperie, locorum culturâ, opum abundantiâ, Incolarum nobilitate, aut prima fuit, aut par primis. Deflexit nonnihil poſt tot rerum converſiones ab antiquo ſplendore; tamen majeſtatem quandam vel inter fortunæ vitia præſefert, & dignitatem oſtentat ſuam. Zemplinium celebre Oppidum; ad quod prima Ungari, dum ex Dacia in Pannoniam prodirent, feruntur poſuiſſe Caſtra; nomen toti impertit terræ. in qua multa & vel modò bene culta Oppida ſparguntur; & ad Septemtrionem quidem, propiúsque Poloniam hæret Sztropkovia magni-

Oppida, Arces, Caſtella.

magnifica cum Arce, in qua Sedes gentis Pethöianæ. Augent locum Ordinis Seraphici PP. ab eadem Familia inducti. Recedit indè Homonna, de qua Drugethij, Magnus Sanguis, & pluribus in Ungaria seculis efflorescens. Est amplissimo Oppido Castellum pulcherrimum, veriùs Arx: nam & propugnacula, & muros, & valla habet. Ad latus hujus eum ijdem Franciscani occupant locum, in quo Collegium stabat Societatis JESU; quod Unguarinum deinceps translatum fuit. Ternæ in montibus ad Homonnam visuntur Arces, aut potiùs Arcium rudera, æterna Drugethianæ fidelitatis in DEUM & Regem monumenta: eo quippe tempore subversa à Georgio Rakoczio sunt, quo Homonnajus suis bellum sumptibus, hac in parte Regni gereret, próque Rege adversum perduelles depugnaret. Jam sequitur Varanovia, binis cum Castellis, & Domo Paulinorum. Nagy-Mihályinum deinde suis pariter majoribus cum ædificijs, ac splendidioribus; tum Terebesinum, ad quod Arcis rudera, seculo proximè superiori virentis. Insunt Oppido Paulini ab Emerico Prinio Anno Milles. quingentes. secundo domo & bonis ditati; qui biennio post Pro-Rex renunciatus etiam auctiores fecit. Quod sanctum Progenitoris opus evertit impietas sacrilega Petri, qui, inter primos Ungarorum Procerum, aut primus fœdo ad Lutherum transfugio, virus plagis istis infudit. Tulit à morte pœnas totâ dudum Ungariâ notissimas, fulminante de Cœlo DEO, & transfugam sacrario depellente: ne scilicet Divis Majorum misceretur cineribus, Sanguinis tanti, & antiquæ Ungarorum religionis dehonestamentum. His accedunt Gálszécs, Királyhelmecz, Lelesznum, Szerencsinum cum Arce & Castello; tum Csicsva, Zethenium, Szirmabesenye, & Tárkany, suis pariter cum Castellis. Pulcherrimam totius Comitatûs partem Oppida componunt submontana, plena populo & vino optimo. Ea sunt: Sátor-Ujhelinum, in

quo ad S. Ægidij ab Anno Milleſ. tercenteſ. quinquageſimo quinto DEO ijdem Paulini famulantur. Deinde Patakinum, ubi parvæ magnæ Arcis reliquiæ viſuntur; in qua Domicilium Societatis JESU à Principe Sophia Báthori, ejusdémque Filio Franciſco Rakoczio egregiè fundatum. Religioſi item SS. Trinitatis. Sequuntur Kereſzturinum; Tokainum, ubi Piariſtæ & Capucini; Tarczallinum, Madinum Urbeculæ præferens ſpeciem; denique Liſzka, Tolcsva, Tallya, & Bényе. Supremi Comitis titulus
Supr. Com. ſplendet hodie apud Michaëlem è Genere Pethöorum Comitem.

158. *Loca Sacra.* Leleſzini ad S. Crucis ſuam incolunt præpoſituram Præmonſtratenſes, & Tabularium cuſtodiunt Regni. Feliciori ætate in Abbatia S. Georgij Szerencſini vivebant Benedictini; in Valle auxilij ad Tárkány Carthuſiani; Patakini ad B. M. Virginis, item Zemplinij, denique Varanoviæ beneficio Domini Rivoldt Franciſcani; demum inſigni in Monaſterio ab Emerico Zapolya Anno Milleſ. quadringenteſ. ſeptuageſimo adornato, Tokaini Magni Eremitæ Pauli Filij.

Lingua. In ſubmontanis domeſtica eſt Lingua Ungarica; Homonnenſium & Sztropkovienſium montes non, niſi Ruthenicâ reſonant; Sclavonica in plano diffunditur; Polonica hinc, illíncque hoſpitatur.

159. Aba-ujvárienſis *Comitatus.* Aba, primus Chriſtiana in Ungaria Palatij Regij Comes, ſive Pro-Rex renunciatus, has ſibi colendas ſumpſit partes; ut dum Stephanus ad Danubium, publicum in bonum excubat, vicaria ipſe cum poteſtate terris iſtis proſpiciat. Itaque Arcem condit & amplam, & dignam, quæ Palatinum habeat incolam. Dicta eſt Arx nova, Ungaris Ujvar; populo addere placuit nomen Conditoris, indè Abaujvár; quod in univerſam tranſijt Regionem. Ceterùm legitur & in litteris Sigismundi Regis, & Philippi Palatini, Comitatus de Ujvár; qui non eſt alius ab Abaujvár.

Ur-

Urbem primam, Ungariæ Superioris Metropolim, habet Cassoviam ad Hernadum fluvium, qui à Septemtrione in Meridiem decurrens, ubi angustijs montium se se explicat, amœnioríque camporum labitur planitie, ad Occidentem Cassoviam salutat. Saxones prima loco dedêre fundamenta post Annum Millesimum centesimum quadragesimum tertium; quo, aut certè proximo * superiori evocantur à Rege Geyza II. in Ungariam & Transilvaniam. Fuit autem duplex: superior altera, cujus ad Boream excelso in monte visuntur rudera. Moderna altera inferior. Simúlne natæ? an vetustior una? & quæ illa? incertum. Fortasse metu Tartarorum posteriùs exædificari ceperit superior, murísque ac turribus armari. Res utcunque se habeat, modicis ab initijs in maximam inferior excrevit Urbem: & jam sub Emerico Rege majora inter Oppida censebatur, primósque accepit muros. Aucta territorijs est sub Stephano V. Anno Millesimo ducentesimo septuagesimo, dum possessionem superioris Cassoviæ, quæ privatis hactenus parebat Heris, inijt. Mox vicenos post Annos vallis eam Andreas III. & altero firmavit muro. Addidit turres & propugnacula favor Caroli I. Singulare autem robur Giscra tribuit, qui ab Anno Millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, diu multúmque Urbem hanc Bohemo cum milite pro Ladislao Posthumo tutatus est. Aliæ deinceps post alias bellorum occasiones, diversis locum circumdedêre munitionibus. Postrema Ungariæ seditio, terrea undique erexit mœnia, novásque adjecit fossas, & aquas; eáque Cassoviam induit fortitudine, par ut repellendo sit hosti vel potentissimo. nempe nihil tam malum, ex quo commodi quidpiam non percipias. Leopoldus Magnus Anno Millesimo sexcentesimo sexagesimo primo Arcem ad Austrum posuerat validam ac prægrandem (citadellam dicunt) futuram Civibus seu præsidio, seu fræno. Sed quæ saluti præparabatur, tulit exitium: quoniam Anno

160. Cassovia.

* Mich. Sigler Cibin. in M. S. ait: se vidisse Diplomata Saxonibus data An. 1142. quidquid sit de Inscript. Coronensi.

Munitio externa.

Milleſ. ſexenteſ. octuageſimo ſecundo capta per fraudem à Tökölianis, ſecurum hoſti iter in Urbem fecit. Indè odium mœnium illorum, ac tandem ruina. hæc extrinſecus. Internum Urbis conſpectum immane quantum ornat, in longum, latúmque protenſæ per mediũ plateæ majeſtas, domibus undique novo ac veteri nitentibus ſplendore. Cſermelius vicũ hunc maximum ab Aquilone ingreditur, & Marianum ad coloſſum, arte & pretio ſumptuoſum, ſectus, magnam efficit in ipſa Civitate Inſulam; in qua, præter Curiam, forum omne, militum Collegium, & publicam eorundem ſtationem, eminet etiam Baſilica D. Eliſabethæ Reginæ Ungariæ Numini conſecrata. Opus Crucem refert. Parietem lapis componit quadratus. portarum, feneſtrarum, anteridum, columnarum, coronidúmque ornamenta, multiplici torno, labore ſubtili tam fabrefactæ definiunt figuræ, fuſæ ut magis, quàm ſculptæ eſſe videantur. Superiorem Templi partem idem decus lapideis in cancellis circumit; ex quibus in totam, quàm latè patet, regionem, proſpectus longè jucundiſſimus. Geminas turres par induſtria inchoaverat, ſed alteram tantummodo ad faſtigium perduxit. Externa ex imagine eſto judicium de internis: omnia iſthìc ad dignitatem, multámque ſanctimoniam. Mitto alia; gradus illos, qui dextrum occupant latus, & in ſuperna faciunt aſcenſum, nefas ſit ſilere. Turrim moles imitatur, ſaxo diverſiſſimas in formas elegantiſſimè detorto. Duplex inferne porta, & limax ſurſum; per quem bini abſque impedimento incedentes modò ſibi occurrunt, modò divelluntur, donec aliquando tandem in apice conveniant. Res viſu mirabilis, haud perinde, ac eſt, dici poterit. Templum hoc, ſunt, qui Viennenſi D. Stephani comparent; ego brevibus & germanè: Viennenſe amplitudine, pulchritudine excellit Caſſovienſe. Opus ſanè auguſtum circiter Annum Milleſ. tercenteſ. vigeſ. quartum poſtrema Caroli

Conſpectus Urbis interior.

Baſilica Divæ Eliſabethæ.

I. Uxor,

I. Uxor, Eliſabetha cepit, Mulier profuſæ Divinum in cultum liberalitatis. Probavit, multúmque promovit Eliſabethæ religionem Rex Conjux; erepto illo, ipſa in primis Regina, Filius deinde Ludovicus I. nihil, quæ ad rem facerent, intermisêre. Atque horum trium Principum ſunt Illæ ſtatuæ, quæ Septemtrionalem Baſilicæ portam coronant. Haud procul hinc aſſurgit turris Civica, & ipſa grandis; humilior tamen Regiâ illâ. poſuit eam ſuo Caſſovia ære Anno Milleſ. ſexenteſ. vigeſimo octavo. Ad Meridionale Templi illius magni latus, ſtat Sacrarium minus non omnino inelegans, quod primum cum naſcente Urbe, dicitur natum. Porrò fluvium, qui hæc complectitur, viceni & ſupra domant majores, minorésve lapidei pontes. Extra Inſulam Cſermeliam, & propiùs Occidentalia Urbis propugnacula Prædicatorum viſitur Templum Anno Milleſ. ſeptingenteſimo ex parte reſtitutum. Si rudera ſpectes Monaſterij, & mœſtas reliquias, Regias in ijs ſtupebis opes, & operas. Ignotus natalium Annus, & nomina Progenitorum. Sunt, qui à S. Hyacintho, has in partes ex Polonia delato, jacta exiſtiment fuiſſe fundamenta. Eum ipſum reſpicit ſolem D. Michaëli ſacrata ædes altera; ad quam Sorores D. Urſulæ Anno Milleſ. ſexenteſ. nonageſ. ſeptimo conſedêre; agente Georgio Feneſio Agrienſium Epiſcopo, Eleonora Auguſta, Magna illa, ſanctáque Imperatrice, ac Regina opibus ſuccurrente. Bina ſimiliter Orientali ex parte conſpiciuntur Fana: Virgini Matri dicatum aliud, annis proximè ſuperioribus ſcitiſſimè adornatum. & hoc, & adjectum Clauſtrum à Familia Priniana Conventualibus Anno milleſ. ducenteſ. octuageſ. tertio erectum fuit; quibus, longum poſt tempus, ſtrictioris obſervantiæ PP. ſucceſsêre. Aliud eſt Academicum SS. Trinitatis Societatis JESU, quod Regia Principis Sophiæ Bathoreæ & Filij Franciſci Rakoczy manus poſuit. Collegij porrò nobiliſſima

PP. Dominicani.

Urſulinæ.

PP. Franciſcani.

Academia S. J.

fundamenta carcer Stephani Pongraczii, & Melchioris Grodeczij duorum è Societate primùm aperuit; tum eorundem Inclytorum Martyrum profusus causâ Christi sanguis dedicavit Anno Millesſ. sexcentesſ. decimo nono. Juvit deinde Cleri Ungariæ insignis beneficentia, ac Ferdinandi III. pietas, à quibus Mislensis collata est Præpositura: de qua sui alerentur Juventuti Ungaræ Magistri. Æmulatus horum studia Benedictus Kisdius Agriensium Antistes, Universitatem bonarum Artium appposuit Anno millesſ. sexcentesſ. quinquagesſ. septimo; triennio post à Leopoldo Magno aureâ illustratam Bullâ. Demum fundationem pro Collegio Alexander Keczer cum Conjuge Sophia Sándor Anno millesſ. septingentesſ. decimo tertio piè, liberalitérque contulêre.

Seminarium Cleri. Seminarium Cleri laudatus suprà Benedictus Kisdius Anno millesſ. sexcentesſ. quinquagesſ. nono S. Ladislai Regis honoribus excitavit; auxit illud Thomas Pálffius in Episcopatu Agriensi Successor, tantúmque promovit Anno millesſ. sexcentesſ. septuagesſ. octavo, jure ut alter Fundator coli mereatur. transtulit deinde & beneficium Georgij Milith L. B. initio Unguarienſibus datum, ac juris domus hujus fecit. Demũ pro Clero Diœcesis Varadinensis ejusdem Præsul Augustinus Benkovich Anno millesſ. sexcentesſ. nonagesſ. nono novam adjecit fundationem.

Convictus Nobil. Convictus Nobilium Matrem agnoscit Susannam Balassajam; sanguine, & publicum in bonum studio, spectatissimam Matronam. Accessit insignis liberalitas Alexandri Keczer; qui utì Religiosi, ita politici Ordinis vixit semper studiosissimus.

Camera. Præter hæc magno Cassoviæ ornamento est illustris Regij ærarij Domus, quam Cameram vocamus Scepusiensem. Nomen trahit à loco, ubi instituta est Anno milles. quingentes. sexages. septimo. tum, quô securiùs ageret, brevì à sui exordio, relicta natali terra, isthuc immigravit.

Palatium Generalium. Alteras habet Palatium, quod Joannes Bornemiszszius, dum vicaria cum potestate mili-

militiam harum partium gubernaret, de suo condidit. Grande, & verè Regium est, sive externam faciem, seu internam spectes partitionem. Diu hanc supremi militiæ Præfecti (Generales appellamus) ædem incoluêre; capto namque per Turcas Temesvarino, huic Præfectura illa loco obtigit, cui omnis Ungariæ superioris miles obaudijt: Armamentarium deinde Regium par habet amplitudo, & dignitas. quatterna adhæc prægrandia militum Collegia, Regijs, Civilibúsque impensis ad magnificentiam excitata, non decorem modò Urbis augent, sed commoditatem in primis, & à militum incolatu Civibus libertatem. Memorant vetustissima scripta: fuisse in suburbanis quoque Moniales, Anno milles. ducentes. decimo septimo loco donatas. Et hinc colligere est, jam tum muro vallatam fuisse Cassoviam. Pomœrium Urbis amplum ac diffusum, suburbanæ undique excipiunt ædes, & plurimus elegantissimorum hortorum nitor; eorum præsertim, quos aut allambit, aut intersecat Hernadus. Prata deinde & agri, & sparsa partem per omnẽ pomaria; tum vitiferi colles, valliculis interpolati: in quibus multus fons, sine nævo aqua, graminei thori, & arboreus fornix. denique innocuus ubique lepos, & omnes hospitantur Gratiæ. Vellem Urbis Inclytæ & iniquiora fata, & ampliora decora pluribus censere; nisi me susceptæ brevitatis ratio vel invitum avocaret. Atque hac in ipsa fusiori aliquanto Cassoviæ descriptione metuendum mihi fortasse fuerat, ne ægrè facerem ijs, quos velociori transivi pede; sed securus causæ sum, si noverint, undecim ipsos annos, isthìc me commoratum, contracta apud humanissimam Civitatem multorum beneficiorum nomina, hac qualicunque grati animi significatione expungere voluisse. & quanquam majora sint ejus in me promerita, quàm ut reddi possint; tamen vel hoc in partem veniet haud minimam solutionis: quoniam favores agnovisse, est ferè reddidisse;

Armamentarium, & Collegia militum.

grandísque ſemper erga magnos ſolutio cenſetur, agnoſcere te non eſſe ſolvendo. Nunc ad loca alia.

161. *Oppida, Arces, Caſtella.* Gônczinum haud ignobile Oppidum pariter à Saxonibus, ac eo propemodum tempore, quo Caſſovia, coli cepit. Paruit initio Regibus; tum ad Amadeos, ſive Omodeos, ſeu Ormodeos translatum, habuit ea de gente Palatinum Ungariæ, Virum potentiâ nulli ſecundum. Qui utpote Uladislaum Poloniæ Regem inteſtinis Civium motibus Regno pulſum; & pro Majeſtate hoſpitem fovit, & exulem in Thronum repoſuit. Extat locus Arcis Amadeæ ab Oppido ad montes recedentis, quæ quanta, qualísve fuerit, ruderum modò oſtentat magnificentia, tum Templi perquam celebris ſepulta dignitas. Sequitur Jaſzovia amplum, nec inconcinnum Oppidum, ferè undique montibus, ceu mœnibus quibusdam ſeptum. Haud longè hinc duo prægrandia diffunduntur alia: ſuperius, ac inferius Meczenzôfium, reliquiæ Saxonũ, gens terram ac ferrum exercere docta. Sepſium inter clariora quondam fuit, utpote lapide cinctum; eſt amplum & hodie Oppidum, ſuíque juris. Szantovia pariter muro fuit circumdata. Szikſzoviæ Iſtvanfianis in Annalibus fauſtum habetur nomen, ob partas non ſemel de Barbaris ad Oppidum iſtud victorias. Principem inter Arces tenebat locum Regéczina, à palatiorum ornatu mirabilis. Tum Szálanczenſis, & Fôzerienſis, omnes montibus impoſitæ. Minor erat Bodokôenſis, & Ruſzkenſis. Quæ omnes nunc deſertæ. Nagyidana Arx, fatale Zingaris in Ungaria nomen, planum habuit.

162. *Nagyidana clades Zingarorum.* Unde autem gentis illius Ægyptiæ odium locus incurrerit, fortaſſe non ingratijs Lectorum narravero: Franciſcus Prinius loci Herus pro Zapolio mœnia tutabatur Anno milles. quingentes. quinquages. ſeptimo; in quæ, quidquid hominum fortunæ illius alebant, conjecerat. Erat major Zingarorum numerus è diverſis circum pagis coactus, ac valla cuſtodire juſſus;

jussus; milite veterano ad interiora Arcis defendenda collocato. Egit rem Zingarus pro virili, & multum supra spem: semel, iterum, ac tertiò, nec sine strage impressionem facientis, militem repulit Ferdinandeum. dabat quippe illi animos & tractandi sclopi peritia, & ampliùs vita desperata. Quid multis? colligit obsessor vasa, ac iter inchoat. Commodùm discessus hic Zingaro accidit, quem nitratus jam pulvis totum defecerat. & omnino triumphâsset, si vocem tenuisset. At enim vix Adversarius processerat; prorumpere continuò è fossis ille, effundi agminatim in valla, minari dexterâ, ac identidem inclamare: ite in malam crucem mortalium pessimi! gratiam vitæ Superis habete. unus vos tumulus hausisset, si quidpiam adhuc pulveris nobis ad manum. Audit inconditam vociferationem Ungarus Germano mixtus, & socium rei admonet. Revertunt extemplo, aggerem scandunt, & nihil jam ferreis fistulis potentem Zingarum ad unum cædunt. Desiderati sunt ultra mille, tantúmque vulnus candidæ illi Reipublicæ hoc prælio inflictum, ut non minus hac ætate Zingaris infaustum sit nomen Nagyidæ, ac Cannarum olim Romanis, Thermopylarum Persis. Hæc occasione Arcis Nagyidanæ; ubi modò visitur Castellum, utì etiam Eniczkæ, ac Szalanczini. Supremi locum Comitis Sigismundus Csakius Thavernicorum Regalium Magister implet. *Supr. Com.*

Jászóvia illustratur Præpositurâ D. Joannis Baptistæ Ordinis Præmonstratensium; ubi etiam Regni Archivum. Centum septem ac quadraginta annis veteres desiderabat incolas sancta illa Domus, quam propemodum eversam Georgius Fenyesius Agriensium Antistes de integro instauravit, ædibus ornavit, ac probè murísque, aquísque munivit; addito eleganti Templo. Redijt ad suos Præpositura Anno milles. sexcentes. nonages. septimo. Jaszovienses inter montes ad D. Ladislai celebratur fonticulus, ma- 163. *Loca Sacra.*

gnáque hominum religionis causâ undique accurrentium multitudine frequentatur. Ferunt ipsiusmet S. Regis precibus erupisse, exercitúmque his in montibus siti laborantem sublevâsse. Iidem Patres Mislæ quoque ad S. Nicolai degebant; quò, evastatis per Tartaros ædibus, nunquam reversi sunt. Sunt, qui ingenuè fateantur, nescire omnino se, quisnam Mislam Ordo habuerit. Paulini Gônczini Monasterium SS. Philippi & Jacobi à Ludovico I. Anno milles. tercentes. decimo nono acceperant. Aliud Regeczinam ad Arcem stabat; utrumque compilatum. Szantovia Seraphicos aluit. Szeplakensem Abbatiam Annum circiter milles. ducentes. decimum septimum Benedictini incolebant.

Lingua. Pars major populi Ungaricè loquuntur. Militare Cassoviæ Præsidium, & Civium nonnulli Germanicè; etiam Meczenzôfiensis, sed duro ore & indomabili. Multi quoque Sclavonicè.

164. Tornensis *Comitatus.* Inter minimas Ungariæ Regiones censetur Tornensium. Dicitur ab Arce pervetusta, infra quam Oppidum jacet cum Castello ejusdem nominis. Altera Arcium Szadvariensis est; magnam fuisse, rudera exhibent. Ad Jablonczam Pagum supra montem Solyomkô via ducit, Cseh-út appellata, latinè iter Bohemicum; cacumen montis quingentorum admodum hominum capax, multos lapidum ostentat cumulos. Arbitror stationem fuisse Bohemorum tempore Giscræ Ungariæ incumbentium. Haud negligenda videtur isthìc villa Gôrgôiensis, non illepidarum emporium nugarum. Incolas alit ejus generis, qui leporem aliquando in depopulatione caulium deprehensum captúmque, solenni judicio furti condemnârunt; & inflictis in terga plagis, liberum esse jusserunt, in mandatis eidem dantes: moneret ut socios, caverent deinceps sibi ab istiusmodi audaci facto, nisi malè mulctari vellent. scirent quippe Senatum hunc, inulta ferre non posse crimina; nec indulgenter,

ter, sed severè in reos animadvertere. Plura, nec falsò, de his circumferuntur; utì & de quibusdam Csalók ôzienſibus, & nonnullis alijs. quæ si quis unum in volumen cogeret, næ is Annales Curioſitatis, præclarum sanè melancholiæ conficeret antidotum. Supremum venerantur Comitem Joſephum è Comitibus Keglevich. *Supr. Com.*

Linguâ passim utuntur Ungaricâ, nonnulli Sclavonicâ. *Lingua.*

Gômôrienſis Comitatus ab Oppido Gômôr appellatus, in montes ut plurimum asperatur; quos inter illuſtre habet Oppidum Roſnyobányam, ſitu pulcherrimam, & ædificijs claram. Georgius Lippai Archi-Epiſcopus Strigonienſis Societatem JESU loco dedit, & Anno milles. sexcentes. quinquageſimo nono perpetuo censu stabilivit; quam poſtea auxit effuſa in res Divinas Stephani Koharij Judicis Curiæ dextera. *165. Gômôrienſis Comitatus.* *Oppida, Arces, Caſtella.*

Non vacat curioſitate lepidum Roſnavienſium commentum, & juvat referre, palam ut sit: quibus sæpe artibus suis imponant Dominis Heterodoxi. Roſnavia ab Andrea III. Archi-Epiſcopo Strigonienſi dono data, turbulentiſſimis illis Zapolianis temporibus, deserta veteri religione, novam Lutheri ſuscepit doctrinam. Cui malo, si quâ posset, remedium cogitabat adferre Georgius, quem modò laudavi Princeps Lippaius. Ergo per seſe decernit eos adire, & præsens periclitari. Jam iter inchoaverat, neque bidui spatio aberat, cùm è suis præmittit, qui Civem adventûs commonefaciant, locúmque Archi-Epiſcopo parent. Nuncio hoc velut fulmine icti consternari Cives, quídque sibi id loci Princeps vellet, anxij sciscitari; malè etiam sibi, suæque metuere religioni; consulere demum in medium, & quo arceri posſit modo Archi-Epiſcopus, multis ac sollicitè disquirere. Venit tandem, nec scio, cui in mentem (audiat posteritas, & rideat) figmentum istiusmodi: toto ut spargatur extemplo pestem Oppido ac pesti- *Lepidum Roſnavienſium commentum.*

lentiam per Cives graſſari, nec domum à labe eſſe immunem ullam; cui ut ſingulari mendacio fidem adſtruant, jubet continuò Senatus arcanô, quàm poteſt maximè, artifices omnes, tractandi peritos ligni, tota in opus incumbere nocte, emortualésque tumbas, quàm poſſint plurimas componere. Incumbunt, componunt. Tum tenebrarum beneficio diſperguntur per domos ferales Urnæ, útque die altero ad ortum ſolis ſingulæ cum fletibus exponantur, pro poteſtate Senatûs imperatur. Et commodùm adventus nunciorum in veſperam inciderat, qui de iſtiusmodi fama non de quoquam audire, non quærere poterant. Accumbitur interea menſæ; eſtur, bibitur, ínque longam protrahitur noctem comeſſatio. Erant, qui & famulos occuparent Baccho, & id genus lautitijs; ne ſtropha adverteret curioſa rerum ſervitia. Sed enim oritur ſol, ſuámque Oppido infert diem. Et ecce, horrendum dictu! inconditus plateis omnibus clamor, triſtis vociferatio, fæmineúsque ululatus. Excivit inſolens tumultus nuncium de lecto, & depulſo manu ex oculis Morpheo feneſtræ applicuit; vidit, & expalluit funeſtum ſpectaculum: pro foribus ſingularum domorum ſtare ſandapilas, & mœſtas circum undique curſare matres. Acerbior res erat, quàm ut diutius ferre poſſet; quapropter ſocios, totásque ſomno eximit ædes; nec indiligens ſciſcitatur: quid iſtud rei ſit tam repentinæ, tam præter conſuetudinem? is, ad cujus diverterant domum, jam egregiè ante mentiri doctus: mirari ſe, ait, nullum ad Principem veniſſe de malo rumorem, quicum Civitas in dies conflictatur. Domos univerſas ex contagio laborare, nec quemquam vitæ eſſe tutum. Tragœdiam, quam ſpectant, næniásque quas audiunt, eſſe Roſnavienſibus quotidianas. Plura volentem; acerbiùs accipere nuncij, & eccurnam iſtud heri non aperuiſſet, verbis caſtigare. Reponere ille: ſe in jura hoſpitalitatis peccare nóluiſſe; nec

feſ-

fessos, & alta nocte, domo proturbare. Credidêre timidi; nec salutato Judice, equis vix bene stratis Oppido profugêre. & ea pavidorum fuit fuga, quæ ad currum duntaxat respiravit Archi-Episcopi. Princeps ne temerè vitam Reipublicæ perquam necessariam præsenti objiceret discrimini, adhortantibus, qui aderant, omnibus, revertit. Risêre in sinum Rosnavienses; sed detecta mox fraude, risum lacrimis mutavêre: damnati ad plura florenorum millia pendenda; templóque depulsus Lutherus. Hæc ex Ephemeridibus Oppidi Rosnaviensis, quæ lecta nobis, & exscripta.

Oppidum alterum & ipsum vastum est Csetnekinum; tertium Jolcsva cum Castello; deinde Pelsóczinum à Bebekiana Familia illustre; utì & Rimaszécsinum à Szécsiana; denique Gombaszeginum ad fluvium Sajonem. Arces supersunt ternæ: Muranyensis Kohariana, arte & naturâ adeò firma, vix ut jugum timere possit. Kraszna-Horkensis altera Andrasiana, & ipsa situ fortis, & structurâ elegans. Hainácskóiensis tertia Vécseiana, quæ similiter habitatur. Putnokiensis demum olim munitio. Reliquarum ut muros, ita nomina oppressit vetustas. Supremus Comes Jus his terris dicit Wolffgangus Comes Serényi. 166. *Loca alia.* *Supr. Com.*

Paulini ad B. M. Virginis in Gombaszeg habitabant, fundati à Georgio & Ladislao Bebekijs Anno milles. tercentes. septuages. primo. De alijs non constat. 167. *Loca Sacra.*

Nôrunt plerique omnes Ungaricam; Germanicam nonnulli; multi Sclavonicam. *Lingua.*

Zolienſem Comitatum suâ Arx Zolyom nomenclaturâ honestat. Indè & duabus Regijs Urbibus nomen: quarum altera Veterosolium tanquam prior, Neosolium altera velut posterior appellatur; quæ bina loca nunquam distinctos Comitatus, ùt somniârunt nonnulli, sed Civitates fecêre. Utraque mon- 168. *Zoliensis Comitatus.* *Urbes, Arces, &c.*

tana est, muris vallata, ædificijs culta; sed florentior Neosolienſis, magnificentior item, & populo copiosior. Basilica inest huic B. Virginis in Cœlos assumptæ, dives formæ & opum. Posuit eam Michaël Königspergius Anno milles. quadringentes. nonages. nono, iísque ditavit thesauris, quos nequidquam alio in templo quæsieris. Est isthìc & Societati JESU Collegium, & pariter Templum; quæ Augusta Josephi Regis liberalitas contulit. Duæ itidem hoc in tractu Civitates sunt, montanæ iterum ac liberæ; Brezno-Banya, & Carpona. Illustratur utraque Religiosa PP. Piarum Scholarum habitatione; & Carponam quidem nobilitavit his incolis munificentia Pauli Olasz Episc. Almisienſis; qui etiam dum Curionem loci ageret, pulchro sanè exemplo, Ecclesiam injuriâ temporum tantùm non eversam, suum de integro reposuit in florem, multísque Divorum Aris adornavit. Ex Arcibus Veterosolienſis inhabitatur, Neo-
Supr. Com. solienſis deserta jacet. Supremus præest illis Comes Antonius Eszterházi.

169. *Loca Sacra.* Plura supra numeravi, Vallis restat Dominorum, quam cura informat Jesuitarum. Ferunt ad S. Elisabethæ coluisse Moniales Neosolij.

Lingua. Sermo montanis Civitatibus ferè Germanicus est; Sclavonica residet penes operas. Nobiles Ungari suâ utuntur.

170. Borsódienſis *Comitatus.* Prænobile, atque antiquum Oppidum Borsód, Borsodienses insignit terras. Hodie caput Regionis Miskolczinum est, longus, populíque multi locus.
Oppida, Arces, Castella. Diós-Gyorgyinum deinde Regia olim cum Arce, ádque omnes deliciarum leges ficta, facta; quarum modò vix tenue vestigium. tum Szendrovia sua etiam cum Arce. Isthìc pariter spectatur Onodinum, notum militibus nomen, & purpurata Barbaro sanguine munitio. Hodie Edelyinense Castellum, aut potiùs Arx sumptuosissimè de fundamentis educta, multis in Ungaria palmam eripit palatijs. Cum jure

Supre-

Supremi Comitis moderatur Regionem Franciſcus junior Eſzterházi. *Supr. Com.*

Ad Miskolczinum Tapolczenſis eſt Præpoſitura. 171. *Loca ſacra.* Szendroviæ manent Franciſcani Annum circiter milles. ſexcentes. ſexageſimum à Franciſco Veſelényio Pro-Rege fundati. Ad Onodinum in Ladd reſurgit nunc Paulinorum Monaſterium à Petro quondam & Gregorio Czudarijs Anno milles. tercentes. octuageſimo ſeptimo poſitum. Degebat idem Ordo in Diósgyörgy in Regio Eliſabethæ & Ludovici I. Filij Clauſtro. ad incitas redacta eſt habitatio nobiliſſima Anno quinquageſimo ſupra milles. quingenteſimum, funditúsque exciſa.

Linguas, quod attinet, Nobili & populo Ungarica in uſu eſt. Sclavonica apud ſervitia reſidet. *Lingua.*

Novigradienſem Provinciam ab Arce ejus nominis appellatam dicimus, utì ſatìs liquet. Ipſam porrò ædificatam ſub Colomano à Ruſſis Iſtvanffius tradit. Adjacet illi Neogradinum, modicum, ſed cultum Oppidum, & quod murus circumit. Alterum eſt Szecſenium ſua quoque cum Arce; ſed & hæc, & illa ſuis ingemunt fatis. Celeberrimum, magníque per has partes nominis Oppidum habetur Loſonczinum, in quo Calviniſtarum non ignobile aditur Gymnaſium. Accedunt Dévin & Gyarmath, ac denique Filekinum immortali Stephani Koharij virtute bellica, & invicta in Regem Fide, æternitati conſecratum. Ceterùm numerantur Arces: Szomoskő, Kék-Kő, Holló-Kő, Gács; cujus ultimæ hæres C. Joannes Forgács, ad clavum Regionis, velut Supremus, conſidet. 172. Novigradienſis Comitatus. *Oppida, Arces, Caſtella.* *Supr. Com.*

Oppidum Szecſenienſe Ordinem Seraphicum habet à Georgio Szecsénio Principe Strigonienſi; ijdem & Filekini manent. De antiquis omnia obſcura. 173. *Loca Sacra.*

Potior locis iſtis ſermo eſt Ungaricus, in quibusdam etiam Sclavonicus. *Lingua.*

174. Hontensis Comitatus. Hont-Vár, olim Hunt-Vár, vetustissima Ungaricarum Arcium, & jam pridem solitudini permissa, Comitatum denominat. Complectitur montanas Civitates: Schemniczium, Bakabanyam, & Belabanyam. Sed prima nobilissima; ubi quidquid calcaveris, aurum & argentum est: nam omni vel plateárum pulveri mixta sunt metalla illa pretiosa. Domus multæ hinc atque illinc colliculis impositæ, Bethlehemiticæ cujusdam Urbeculæ speciem præferunt. Sunt autem & in unum collectæ plures, justámque Civitatem componentes. Rem Divinam de Societate JESU PP. faciunt. Ornatur Ærario quoque Regio, quemadmodum & Neosolium & Cremniczium. Oppida terræ hæ censent: Báth, Bozok, Szebelib, Némethi, Palojta. In partibus Kis-Hontensibus, quæ isthuc pariter spectant; magnum, pulchrúmque visitur Oppidum Rima-Szombathinum; minus est Kisolczinum. Arces celebrantur: Csabragiensis, Szitnyensis, & Bozokiensis; Castella Rahovienſe, Osgyanienſe, Pecseniczenſe, sed in primis S. Antonij ad Schemniczium. Supremi Comitis titulo & jure hæreditario excellit Familia Kohariana.

Urbes, Oppida, Arces, &c.

Supr. Com.

175. *Loca Sacra.* Lampertus de Sorore D. Ladislai Regis natus Princeps, Pro-Rex subinde Ungariæ, sub Stephano II. cum Conjuge sua Sophia & Filio Nicolao, ad honorem D. Regis Stephani, ditionem suam de Bozouk, sive Bozok, erecto ibidem Asceterio dedicat. Quod Anno Milles. centes. triges. quinto, & rursum quadriennio post Bela II. ratum habet. Præpositura fuit Præmonstratensium. Sed venit in mentem dubitare: an idem Ordo initio eam possederit; quoniam instrumentum confirmationis Abbatum Bozokiensium meminit: Ordo verò clarissimus ædium suarum Præfectos, non Abbates, sed Præpositos nominat; nisi fortasse id temporis utroque usi fuissent nomine. Sed quidquid de hoc sit, hanc ego primam in Ungaria arbitror esse Familiæ sanctissimæ sedem:

quan-

quandoquidem à ſui ortu, quì in Annum Milles. centes. vigeſimum incidit, haud longo pòſt tempore iſthìc conſedit. Altera eorundem Religioſorum floruit in Saág Anno Milles. ducentes. ſexages. octavo à Familia Hunt-Pazmaniana condita. Suum & Dominicanis Schemniczij elegans ſtetit Monaſterium, utì rudera declarant. Vetera hodie aſſurgunt fundamenta celeberrimi Monaſterij in Noſtre PP. Paulinorum.

In Montanis principatum obtinet Germanicum idioma; propria vulgo Sclavonica eſt. Pauci, qui ſciant Ungaricam. *Lingua.*

Comitatus Barſienſis, à Civitate quondam vaſta & nobili, alijs à Caſtro quodam derivationem ſumit nominis. Extat locus ad Grani ripam; ad cujus latus veſtigia reperiuntur majoris cujuspiam ædificij, ſive Arx illa fuerit, ſive Cœnobium. Præcipuus plagæ locus Cremniczium eſt, in coronam ferè belliſſimè ædificatum: ut adeo hæc in Ungaria Urbs ſit, in qua domus ſingulæ templum ſibi objectum cernant; cùm enim modica, ínque gyrum ducta ſit; templum, quod medium occupat, ſingulis, absque impedimento, ædibus aſpectabile ſit. Georgius Lippaius Archi-Epiſcopus Strigonienſis à ſacrario' ac Cœnobio Seraphicis conſtructo magna acceſſione Urbem ornavit. Quanquam ſatìs famæ, nominísque, terris omnibus & gentibus, Cremniczium habeat ab auro argentóve; quæ tantâ elegantiâ ſignat, æs ut Ungaricum ceterarum nationum pecunijs non bonitate modò, ſed cultu etiam ſuperemineat. Huc refertur & Kis, ſeu inferius Tapolcſan; & Leva egregium ac militare Oppidum; cujus munitio plurimùm negotij faceſſijt Turcis, dum Ujvarini rerum potirentur. Diruta eſt nupero Civili bello, quemadmodum & Arx Suranyenſis jam antea deſerta. Supereſt Caſtellum S. Crucis nobiliſſimum ſuo cum Oppido. Hujus etiam terræ pars eſt Oppidum Verebély vaſtum, & probè compoſitum. caput eſt Archi-Epiſcopalium fortunarum his *176. Barſienſis Comitatus.* *Urbes, Oppida, Arces.*

in regionibus diffusarum; habétque singulare tribunal, ac Palatinum suum. Barsienses autem Comitem agnoscunt Supremum Georgium Erdôdi Cameræ Posonienſis Præsidem.

Supr. Com.

177. *Loca Sacra.* Geyza I. & gestorum gloriâ, & vitæ sanctitate Rex verè Magnus Anno MLXXV. cultui S. Benedicti & Templum, & Abbatiam posuit perquam opulentam, ejusdémque S. Patris Filijs colendam tradidit. Altera SS. Salvatoris eorundem viguit in Lekér. Habitabant Paulini in Chalad; Moniales Tornovæ; hodie Levæ Franciscani.

Lingua. Patriam loquuntur Barsienses Linguam; quanquam & huc jam, nec modicis incrementis, penetravit Sclavonica.

178. Nitrienſis *Comitatus. Oppida, Arces, Castella.* Magnam, formosam, & quod caput rei est, bene doctam subimus Nitrienſium Provinciam. Nitria fluvius, terræ undique nobili, suum impertit nomen. tum indè & Arci Episcopali, & Oppido denominatio. Arx probè munita alto insidet monti; Episcopium, Basilicámque complectitur S. Emerami, vix quidquam præterea. Annis proximè superioribus & Templum istud, & Antistitis Sedes, operâ Adami Erdôdij loci Præsulis, eum accepêre splendorem, quem nec fortunatissima Nitrienſium tempora conspexerunt. Ad radices montis, editiori in loco suum ædes Canonicorum habent Ordinem. ubi & Seminarium Junioris Cleri S. Ladislao, à Ladislao Matyasovszky Nitrienſium Episcopo dicatum; & Seraphici Ordinis Monasterium à Joanne Telegdio hujus pariter Ecclesiæ Præsule exædificatum, est videre; quos omnes illinc Arx, hinc muri custodiunt. Oppidum deinde in plana descendit, suáque inter ædificia censet elegans Collegium PP. Piarum Scholarum, cum Convictu Nobilium; utrique beneficio laudati sæpius Ladislai Matyasovszky vivunt. Ad Orientem in latus montis Zobor recedit Claustrum Camaldulenſium, quos eo loco, & amplissimè donavit Blasius Jaklin Antistes

Nitria.

tiſtes ſimiliter Nitrienſium, admiſſo etiam Nicolao Fratruele in ſocietatem beneficij. Regiam Liberámque Urbem ad limites Regni, propiùs Moraviam, habent hæ terræ Szakolczam; cultam ſatìs & politam. Szakolcza. Antiquam oportet eſſe, in qua utpote jam Anno Milleſ. vigeſ. primo Templum excitavit D. Michaëlis Archangeli, Joannes quidam vinearum cultor. Diverſæ eam Religioſorum inhabitant Familiæ: D. Franciſci ad B. Virginis ab Anno Milles. quadringentes. ſexages. ſeptimo. Societas JESU ad S. Xaverij ab Anno Milles. ſexcentes. quinquages. nono, Fundatore Collegij Georgio Szelepcsénio Strigonienſium Archi-Epiſcopo. Carmelitæ ad SS. Trinitatis à Leopoldo Koloniciſio Card. Strigonienſium pariter Antiſtite. Denique PP. Paulini. Eſt Civitati murus, ſed malè materiatus, & in caſum pronus. Sequitur Gal- Loca cetera. goczium pervetuſtum quoque Oppidum, & olim Horidum. Eſt illi Arx ſalubri in loco; ſunt & Franciſcani, à Familia Turzonum impoſiti. Tum Vág-Ujhelinum, cum Præpoſitura Canonicorum olim Regularium ad B. M. Virginis; pulchrum Oppidum anno, quo hæc ſcribimus, fœdum in modum deformavit ſemel, ac iterum furor Vulcani. Bajmoczium deinde, & ipſum non ignobile, ſua quoque cum Præpoſitura ab Onofrijs Comitibus Anno Milles. quadringentes. ſeptuages. nono erecta; & cum Arce ad omnem à Palffijs ſplendorem ſcitiſſimè comparata. Mox Prividia cum Collegio Piariſtarum; & Ujvarinum, nobiliſſima haud ita pridem munitio, cum Clauſtro Franciſcanorum: Fundator horum Pazmannus eſt, Palffij Piarum Scholarum. Reliqua majorum gentium Oppida ſunt: Saſſinium, Holicſium, Szeniczium, Nagy ſeu Superius Tapolcsán, Verbovium, Cheitha, Séntavia, Sellya, Mocſonok, Sandorff, ad quæ ferè aut Arces adjacent, aut Caſtella. Quamvis & pagorum plurimi Arculas quasdam minores complectantur, mirúmque in modum plagas has, Vallem

præsertim Nitriensem ad omnem amœnitatem compositam, exornent, regionísque oblectent Nobilitatem; quarum dedisse nomina suffecerit. Leopoldopolis ad custodiam Vagi, à Magno Leopoldo Anno Milles. sexcentes. sexagesimo quinto de fundamentis educta, grande ac firmissimum est propugnaculum, militum etiam manu potens. Ghymes, Bodogh, Korlátkő, Keselőkő, Jókő Arces sunt. In Temetvény, Radosna, Szokolócz, Őrmény, Jabloncza, Romanfalva, Novak, Sarfő, Kőpősd, Báb, Attrak, minori & majori Bossány, Ujfalu, Félfalu, Cserenye, Laszkar, Nitra Szeg, Szalakusz, Szerdahely, Tavarnok, Apony, Ugrocz, Brogyán, Brunocz, Dovorány, Morvanka, Kis-Vicsap, Tarnocz, Luka Castella assurgunt illustria, & præclarissimis incolis opulenta.

179. *Tragica Historia.* Memini supra Chejthensis Oppidi, in quo gemina Castella. Peculiare id loco, quod eo in monte, quem Occidentaliorem habet, cellas vinarias, viva in argilla tam probè excissas possideat, ac si de saxo forent. Non illic columnæ, non trabes, quæ sustineant; firma terra est, & solidi adinstar muri. quódque mirêre amplius, plures etiam quasi in contignationes limus cavatur; stántque cellæ, aliæ super alias, quin tamen vel tantillum vitij faciant. Ad Castellum, quod juris hodie Erdődiani est, plura ejuscemodi, eóque digesta ordine visuntur cellaria, ut speciem quandam labyrintheam exprimere voluisse existimet artificem, qui curiosiùs omnia oculis usurpârit. Hi specus, infamia crudelis tragædiæ sunt theatra; quâ tristiorem, an sol ullus, post homines natos viderit; an natio ulla unquam audierit, jure dubites. Atque omnino diu, multúsque pendebam animo, num dirissimum facinus in lucem tandem proferrem: tum quia Regium Bathoreæ Gentis, Christianáque de Republica optimè meritum sanguinem, verebar sempiterna aspergere ignominiâ; tum quia vix sperarem, tanta est facto atrocitas, fidem apud quemquam me inven-

inventurum. At tandem plures evicêre cauſæ, útque auderem, perſvasêre; & in primis quô palàm fiat: quàm horrendum ſit à Catholica Religione in novos abſcedere errores; deinde quàm mirabilibus in perniciem mortalium utatur vijs teterrimus ille animarum noſtrarum hoſtis; demum, quæ in præcipitia agat, quámque ſibi hominem eripiat, admiſſum ſemel animo ſcelus. Sed nec Inclytæ Bathoreorum Familiæ quidquam indè dedecoris: major illa eſt, quàm ut privatorum ſordeſcat maculis. & certè, ut pictorum in arte clariorem umbræ reddunt imaginem, ita unius atque alterius vitia magnas plurium ex eodem genere illuſtrant virtutes. Res porrò, etſi humanam excedere fidem videatur, tamen certiſſima eſt, firmatáque teſtimonijs, quæ nullius elevet authoritas. Sic autem habet: Eliſabetha Bathoria Franciſco Comiti Nadasdio connubio juncta, quô in amoribus Viro potior eſſet, Catholica ejurat ſacra; & Luthero, quem ſectabatur Maritus, adjungitur. Hæc ruinæ initia. Femina jam DEI ferè oblita, tota in eo fuit, ut Conjugi placeret. Ergo conciliandæ ſibi formæ operam locat omnem, & quemadmodum in dies mundum muliebrem alium & alium induitur, ita caput varios torquet in cincinnos; jam hoc, jam illo modo cæſariem diſcriminat, auro perlinit, gemmis adamantibúsque diſtinguit, ac gravat. Conſederat fortè ad ſpeculum pediſſequarum manibus ornanda Venus; fervent operæ, ſuo quæque nec indiligens fungitur officiô: hæc crines, pectine quàm poteſt leniſſimo, diſſuit; illa odoro inſpergit rore; torquet altera in annulos capillum, calamiſtrum altera, quo cirros conciliet, ſedula circumfert. In hac ancillarium mole curarum, quo, neſcio, infortunio paullo plùs, ac ferre poſſet tam delicata Hera, extendit earum una crinium quidpiam, & ſtomachum Eliſabethæ movet. quæ etiam continuò os puellæ excuſſiſſimo pulſat colapho. Et en proſilit extemplo ſanguis,

& macula vultum Dominæ tingit; quam ubi illa linteo terſiſſet; mirabile dictu! formoſior ea parte, & propè ad prodigium candida ſibi eſſe videbatur. ſive ea eſt humani virtus ſanguinis; ſive, & vero ſimilius, callidæ cacodæmonis artes femineis illusère oculis. Quidquid id ſit, ſanguinea illa labes, & illa modica heu me! quantum deinceps profundet ſanguinis. Sed pergamus. Eliſabetha ſuæ ad inſaniam propemodum ſtudioſa formæ, viſo hoc ſpectaculo, ita ſecum cogitare: quid? ſi tantillum ſanguinis tam magnam addit venuſtatem, quantum faciet, ubi totam memet illo abluero? primis mihi in votis Viro placere; ut in oculis ferar, pulcherrima oportet ſim. modum mihi ſors & DEUS oſtendit, amens fuerim, nisi utar. Hæc ſæpe ſecum revolventi, venit tandem in mentem: unam ut è gynæceo vitæ eripiat puellam, ejúsque ſemet cruore efficiat candidiorem. Atenim immane quantum fatigabat animum ſceleris magnitudo; timor imminentis infamiæ, ſi factum in lucem prodiret; ſi occultũ maneret, tamen terrebat ultrix criminum DEI juſtitia. Sed vicit dira mulierem formæ cupido, ínque meditatum impulit flagitium. Adhibet itaque duas in conſilium vetulas Helenam & Dorotheam; & quæ unquam occulta ſcelera ſinè vetulis? narrat factum nuper dierum; pandit animum ſuum; útque ſibi conſilio adeſſe velint & auxilio, rogat. præmia deinde pollicetur, & favorem ſempiternum. Infernalia illa ſilicernia nocere duntaxat docta, probare voluntatem Dominæ, multísque dilaudare; offerre adhæc laborem & induſtriam, quo res ex animi ſententia & cadat, & perpetuis in tenebris maneat. Atque in primis ſuadent idoneum maximè locum eſſe perficiendo parricidio in cellis, de quibus initio locutì ſumus; quarum claves ſibi dare petunt, curámque demandari; eam deinde ipſam puellam, cujus primùm ſanguis Heram inſperſerat, decernunt trucidandam. Erat Eliſabethæ ab obſequijs Joannes qui-

quidam, quem à puero eduxerat, Ficzkonémque (puerulum notat) appellabat, quod nomen etiam annis maturo adhæsit. hunc pariter, velut sibi fidissimum in secreti conscientiam admittit, útque vetulas illas, validior ipse, pro virili juvet, in mandatis dat. Joannes quô gratiam Heræ amplius promereatur, non minus ac veteratrices illæ striges, spondet omnia, ac jurejurando appromittit. Et stetit verbis, móxque missam jussu Dominæ in nefastas illas cellas pedissequam, nihílque tale metuentem, aggreditur, & in interiora abreptam crudelissimè ferro transadigit, vetulis sanguinem excipientibus. quo ferali balneo lota Elisabetha pulchrior rursum, ope, nullus dubito, ac illusione diabolica, sibi apparuit. E voto successit primum istud maleficium, útque jam patrarent plura, audentiores fecit. Ibat infandum nefas de anno in annum; & quod stupeas, extincto etiam Marito, jámq; in senium declinante vidua, cædes sacrilegæ producebantur. Tanti est semel sceleri insuêsse! Ferunt eò sævitiei venisse Elisabetham, ut jam & carnes occisarum manducaret, nec suavius his cupedijs quidquam duceret. Heu delicias, in ultimam barbariem relegandas! Exhauriebatur interea gynæceum, plurésque Nobilium puellæ desiderabantur (mos ejus temporis fuit, ut Aulæ Procerum, quemadmodum Filios, ita Filias paritet alerent, informaréntque nobilitatis mediæ) quas cùm Parentes repeterent; fato perfunctæ, terræque creditæ, dicebantur. & initio quidem fidem res habuit; verùm cùm funera multiplicarentur, nec quidquam de morbis, aut siniſtro casu aliquo nuncij acciperent; advertit quosdam amantiores prolium suarum sollicitudo, diligentiorésque in indagando fecit. Unde dum elatam audirent in aula filiam, quæsierunt: quo ex morbi genere? quamdiu deinde lecto fuerit affixa? quibus usa medicis? ad quæ cùm sus, déq; responderetur, petierunt demum exhiberi sibi locum, sepulchrúm-

que pandi Filiarum. Ubi, quoniam cùm indignatione repulsam passi sunt, non vana eos insedit suspicio: dolum isthìc latere, & quas nescio fraudes. Inquirere proinde aulica apud servitia de Filiabus, & multa sciscitari; muneribus quoque agere & pollicitationibus. Id extuderunt de quibusdam, sed parricidiorum ignaris; vidisse se: sanas & incolumes iviſſe in cellam vinariam puellas, nec deinde usquā visas. Tunc enimverò suspecta esse cepêre omnia, & perturbationis maximæ. Et acerbior fuit multorum dolor, quàm ut dissipari levi opera posset; quare communicato cum amicis negotio, rem primùm ad Pro-Regem, tum ad ipsum quoque Regem deferunt: nominant hi disquisitores, ac imperant; ut modis quàm occultissimis odorentur omnia, rimentur, expiscentur, excutiant. Paruerunt jussis, scelus deprehenderunt. Missus tum Posonio Cheithā est Georgius Turzo, exeunte Anno Milles. sexcentes. decimo, cellásque illas scrutari ipse, oculísque perlustrare jussus. Ivit, perlustravit, & ecce puellam ex flagris & ustulatione recens emortuam reperit. Capti extemplo, ínque vincula conjecti ij, quibus cura incumbebat cellarum; mox & Elisabetha ipsa separata ab aula, & in secretius cubile in Arce Chejthensi sub custodiā data. Ficzko, Helena, & Dorothea Bicsam abducti, ac parricidij ordine juris convicti, flammis vitam finivêre Anno Milles. sexcentes. undecimo, die septima Januarij. Elisabetha verò, quæ ad sexcentas puellas, quemadmodum confessione trium illorum compertum est, inaudito seculis omnibus parricidio sustulit, reperta & ipsa suo in carcere exanimis est Milles. sexcentes. decimo quarto, vigesimâ primâ Augusti. Hæc ex Ephemeridibus Familiæ Turzonianæ (diarium vulgus appellat, quod res in dies gestæ in illud conjiciantur) quæ etiam socium Palatini Georgij Turzonis nominant Emericum Megyeri, nec non Nicolai Zrinyi, & Georgij Homonnai Elisabethæ Generorum famulos,

los, qui Palatinum secuti sunt. Atque hæc illa execrabilis innocuarum clades est Virginum, quæ antiqua Poëtarum figmenta vertit in historiam; & quod de nullo illi ausi sunt comminisci virorum, in una exhibuit femina, amore formæ suæ perditè projecta. Scilicet nihil mediocre in muliere, sive bona illa fuerit, sive mala.

180. *Episcopatus Nitrienſis.* Episcopatum Nitrienſem jam ante tempora D. Stephani Regis floruisse, non est, cur magnopere repugnem; iniquioribus tamen fatis conversum, ínque solitudinem redactum, est plurimum, unde affirmem. Jure itaq; optimo, Stephanum I. Sanctum illum Ungarorum Regem, & Sedis hujus veneror Conditorem. Qua de re pluribus supra. * Ubi & annum erecti Episcopij, & Patronos Reges dedi. Accedit Gyselæ Sancti Regis Conjugis sanctæ beneficium Ecclesia Cathedralis, quam illa construxit, ampléque ditavit. Magna hìc, multáque precioſisſimorum vis ornamentorum à pluribus collata Antistitibus; sed major in corporibus Divorum Andreæ & Benedicti Basilicæ thesaurus, qui à Millesimo nono ædes has, totámque circum tutantur Regionem. Antistites porrò loci & genere, & doctrinâ, & virtute eminuêre, plurésque continenti serie Cancellarij Regij munere perfuncti sunt. Dignitati Episcopali innexa pariter est Supremorum Comitum, idémque jus in profanis dicit, qui in Ecclesiasticis.

* *Vide N. 76.*

Supr. Com.

181. *Loca Sacra.* Plura Religiosorum loca sparsim dedimus; quæ supersunt, censemus: Ternas quondam Benedictina Familia incolebat Abbatias Nitrienſi in terra: in Zobor ad S. Hypoliti Martyris, ubi modò diximus esse Camaldulenses; in Kolocs ad B. M. Virginis; & in Ludány ad SS. Cosmæ & Damiani. Hodie in Elephant Ordo floret Paulinus.

Lingua. Nitrienſium Nobilitas Ungaricam loquitur; immo & plebeorum pars magna. Sclavonica alijs do-

mestica est ; sed apud Szakolczenses floribus culta, tragematis sapida.

182. Posonienſis *Comitatus.* Augustam ab incolatu sacri Diadematis ingredimur Provinciam ; ultimum Septemtrionalis Ungariæ limitem, principem tamen, quæ hodierna est illius felicitas, totius Ungariæ terram. Nomen ei ab *Posonium.* Urbe Regia Posonienſi. de qua ad ravim contendunt: alij à Pisone volunt dictam; alij à lacu Peisone ; quidam à Bregetio ; nonnulli sub torcular eandem cogunt , ut quidpiam de Presburgo exprimant ; quas inter tricas, ubi tutò figas pedem , vix inveneris. Sed nec vacat de apicibus litem intentare , ac pluribus jurgari. Urbem ipsam inspiciamus. Sita est ad Danubium , loco longè amœnissimo. Ambitur veteri, eóque solidissimo muro , hinc illíncque in turres assurgente ; & undis stagnantibus præterea. Palatijs Procerum Ungariæ illustratur splendidissimis juxtà ac copiosissimis; quæ sigillatim censere nec instituti est nostri, & ratio non admittit compendij. Sacra perstringimus: princeps D. Martino sacrata est Ecclesia , ad quam spectat hodie Capitulum duodecim Canonicorum suo cum Præposito ; cui initium fecerat quidam Petrus Gayzmir , qui Anno Milles. tercentes. quadragesimo primo in Ecclesia S. Salvatoris Canonicos quosdam fundaverat. In thesauris templi hujus preciosissimum est D. Joannis Eleemosynarij Alexandrini Episcopi corpus integrum, argenteo incluſum loculo à Card. Petro Pazmanno. Ad B. M. Virginis, quam ædem Ladislaus IV. jussu Romani Pontificis Anno Milles. ducentes. octuagesimo posuit, magnum Ordinis Seraphici Monasterium stat. Societas JESU duobus purpuratis Strigonienſis Ecclesiæ Principibus ad SS. Salvatoris suum in acceptis refert Collegium ; residet adhæc ad S. Martini, veterémque à Pazmanno datam tuetur stationem. Sorores S. Claræ eum implent locum, quem Cistercienses tenebant Moniales, quæ Anno Milles. ducentes. nona-

nonages. ſeptimo interîre. Aſceterium aliud incolunt Sociæ D. Urſulæ. Seminarium Cleri S. Emerici Canonicorum gubernio paret. Ad ſacra ſpectat Sacellum D. Ladislai Regis in Archi-Epiſcopali palatio egregiè conſtructum. Ad quas pariter ædes publicæ venerationi proſtat ſtatua D. Joannis Nepomuceni magni laborantis famæ Patroni, ad omnem exculta nitorem à moderno Strigonienſium Principe Emerico Eſterhazio. Forum, quod Salvatorianum reſpicit Templum, Coloſſus ornat Marianus. Jam verò ſuburbia, quæ circum undique diffunduntur, habent ſuis cum Eccleſijs Monaſteria terna: Ordinis nempe SS. Trinitatis, tum Capucinorum, tandem FF. Miſericordiæ, ubi ſempiternum Maholanyiana in egenos miſeratio ſibi fixit monumentum. Acceſſerunt deinde his, qui Pragâ colonias deduxerunt, Crucigeri. Arx ponè aſſurgit, & Danubio imminet. De amplitudine, ceteróque apparatu ſatìs fuerit dixiſſe: Cæſarum eſſe & Regum habitationem. Hæc ipſa Angelicum illud & mirabile Patriæ depoſitum, Sacram Coronam, fortiſſima in turri ſervat, & cuſtodit. Ad radices montis hujus ſtabat Academia Iſtropolitana à Joanne Vitezio Archi-Epiſcopo Strigonienſi Anno Milles. quadringentes. ſexages. nono inſtituta. Sed breve illi ævum: elato quippe Authore, ipſa quoque extincta eſt. morte enim præventus Antiſtes, quàm cogitabat, vitam proli dare haud potuit. Ut ritè quidpiam ſuſcipias, tuum intra pectus diu multúmque conſilijs age; ubi deliberaveris, ocyùs exequere, & firma. Præveniſſe, rarò; diſtuliſſe, plerúmque nocuit.

183. *Illuſtria Poſonienſium decora.*

Ad perennem Urbis nobiliſſimæ, quà famam, quà venerationem facit: quòd octo jam ex Auguſtiſſima Auſtriacorum Domo Diademate Reges incinxerit, primáque adoraverit. Quòd univerſis Regni Comitijs tertium in ſeculum una ferè hoſpitium præbeat. Quòd præter Coronam Sacram, ærarium

quoque Regium Ungariæ ab Anno Milles. quingentes. triges. ſeptimo poſſideat. Denique quòd Conſilium Regium, magno Reipublicæ bono quinque abhinc annis à ſapientiſſimo Cæſare ac Rege inſtitutum complectatur.

184. *Tyrnaviæ.* Tyrnavia à Conditore, ſive reparatore Bela II. Regia; ab indultis Principum, Libera; à Nobili Senatu, Inclyta; à locis religioni dicatis, ſancta; à Metropolitano Strigonienſium Capitulo, illuſtris ac veneranda; ab Univerſitate Litterarum omnium florens, atque in primis celeberrima eſt. Nomen Urbi ab interlabente fluviolo Tirnava. Amplitudo capaciſſima ferè quadrangulo definitur. Ædificia & veteris ſtructuræ; & nova complectitur, decoris magnifici, palatia. Primum dignitate eſt Templum D. Nicolai, auctum á Cardinale Pazmanno, & ornatum. Sed inter præcipua refert ornamenta prodigioſam Magnæ Matris effigiem Anno Milleſ. ſeptingentes. octavo lacrimis madentem & ſudore. Exteriore hujus Templi muro ambitur etiam Fanum D. Michaëlis Sclavonicum nuncupatum, à Georgio Szelepcsénio excitatum. *Archi-Capitulum Strigonienſe.* Adjacent his Archi-Epiſcopales Ædes, inſigni cum Bibliotheca. In D. Nicolai laudata modò Eccleſia rem Divinam facit Illuſtriſſimum Strigonienſe Capitulum; quod à prima ſui per S. Stephanum Regem inſtitutione, in hæc uſque tempora, Viris Genere, doctrinâ, & virtute præſtantiſſimis excelluit ſemper, & porrò excellet. è cujus fertiliſſimo gremio prodijt B. Euſebius, qui Eremiticam Ordinis S. Pauli vivendi normam, Cœnobiticæ legibus temperavit, primúsque candidiſſimam Familiam moderatus eſt. Prodijt Marcus Criſinus, acerrimus Fidei Orthodoxæ defenſor, & purpuratus Chriſti Martyr. Prodiêre denique Ungaricarum Eccleſiarum Epiſcopi plurimi & Archi-Epiſcopi, Religioſarum Domorum, Templorúmque Fundatores, liberaliſſimíque dotatores; quorum meminiſſe volupe foret, ſed angu-

guſtiæ libelli tanta nomina, tot ſingularia beneficia non capiunt, tomos exigunt. Domus Canonicorum infra, ſupráque Baſilicam hanc producuntur, eminentiorem Urbis partem occupantes. ubi etiam retruſæ in angulum Cæleſtibus intendunt Sorores S. Claræ, ad B. Virginis in Cœlos Aſſumptæ; apud quas precioſæ Criſini, Pongraczij, & Grodeczij Caſſovienſium Martyrum ſervantur reliquiæ. *Clariſſæ.* In occidentaliori Civitatis regione Ordo Seraphicus Monaſterium, ac Templum D. Jacobo Apoſtolo ſacrum habet, noménque Jacobeæ impertit plateæ. *PP. Franciſcani.* Alter SS. Trinitatis Ordo majori in vico conſedit, ædémque ſacram hoc ipſo tempore Clauſtro adſtruit ſuo. *PP. Trinitarij.* Tertius PP. Paulinorum, qui fluviali in platea ad elegans D. Joſephi Sacrarium habitant. *PP. Paulini.* Acceſsêre quinque abhinc annis & Sociæ D. Urſulæ, quibus novum modò exſurgit Aſceterium. *Urſulinæ.* Septemtrionem versùs Academicum Societatis JESU Collegium ſtat, amplum, ac in primis cultum. *PP. Societ. JESU.* Et verò meruit hanc tandem ſplendoris coronam incredibilis Domûs iſtius, ac neſcia vinci patientia: ab anno quippe primo & ſexageſimo, ſupra quingenteſimum milleſimum, quô Tyrnaviam ingreſſa eſt Societas, plus quàm integro ſeculo luctari non deſijt; & malis omnibus, dato veluti ſigno, in eam irruentibus, circumagi. Primus à rerum egeſtate impetus; mox ab igne & incendijs; ſed graviſſimus, ſæpiúsque repetitus à bellis Civilibus; hæreticorum odijs; &, quod acerbius eſt, nonnullorum etiam Orthodoxorum, quibus neſcio ex ſuſpicionibus laborantium, ſiniſtris ſtudijs, & malè feriatis affectibus. Demigravit Tyrnaviâ, peregrinata eſt Turoczij, deinde Sellyæ; tulit exilia, implevit carceres; fortunarum ac vitæ jacturam fecit, & exitium. Sed his omnibus, quæ DEI in ſuos cura eſt, ſuperior, ex adverſis proſperitatem, è rerum penuria facultates, amorem ex odijs, de tot rerum converſionibus, ſtabilitatem aliquando demum retulit, & perennitatem. Fun-

datorem veneratur Collegij Rudolphum II. Cæsarem, & Regem Ungariæ ab Anno Millesimo quingentes octuagesimo quinto. Universitatem Artium bonarum refert in acceptis purpurato Principi Pazmanno ab Anno Milles. sexcentes. trigesimo quinto. quam deinde Georgius Lippajus studio & Doctoribus Juris auxit; Ferdinandus Palffius magnifico Scholarum ædificio ornavit. Basilica D. Joannis Baptistæ Regijs prorsus sumptibus educta Parentem & Authorem colit Nicolaum Esterhaszium Ungariæ Pro-Regem; sempiternáque celebrat memoriâ incomparabilem Celsissimæ Familiæ pietatem ab Anno Milles. sexcentes. triges. septimo; quo consecrata est, & frequentari cæpta.

185. *Typographiæ Ungariæ.* Academicis adjacet Scholis Officina Libraria prima Ungaricarum omnium hac ætate, & princeps. Tenuibus ex initijs eluctata, in eam demum evasit, liberalitate potissimùm Card. Leopoldi Kolloniczij, ut in comparationem venire possit cum florentissimis quibúsque. Hanc porrò velut matrem Filiæ sequuntur: Cassovienſis pariter Academica, Leuthovienſis, Budenſis, Posonienſis, Jaurinenſis, Debreczinenſis. quas omnes huc adjicere placuit, ut unum sub conspectum pariter veniant.

186. *Seminaria Cleri, & Nobilitatis.* Pro formando, instituendóque juniore Clero; ac Nobili Juventute litteris, moribúsque Christianis imbuenda; quina habet Urbs Tyrnavienſis Domicilia. Antiquissimum est S. Stephani Regis, quod Olahus pro Clero posuit; sed eversum Pazmannus de integro reposuit; deinde Szécsénius auxit, tres scilicet Archi-Episcopi; tandem Stephanus Koharius Judex Curiæ amplius ditavit. Splendidum est, & intra extráque bellè concinnatum. Eodem ferè tempore & Seminarium S. Adalberti, & Convictus Nobilium natales habuêre suos: S. Adalberti Domus initio quidem pauperiorum habitatio studiosorum, multorum adjuta favoribus, præsertim laudati sæpius Pazmanni, Francisci deinde Jani Antistitis Sirmienſis,

ac

ac Stephani Koharij Clericos quoque incolas accepit, novísque in dies augetur ædificijs. Convictus porrò eodem iterum Fundatore Pazmanno, & Benefactore Joanne Telegdio copioſum nobiliſſimúmque Patriæ Juventutis aluit florem; quo hodie orbus, ſolitudini ingemit ſuæ. In Collegium pariter generale Cleri Regni Ungariæ plurium confluxêre Præſulum beneficia; verùm primas obtinet Georgius Lippai Archi-Epiſcopus, qui Anno Milles. ſexcentes. quadrages. octavo ad normam Romani Germanico-Ungarici Collegij illud inſtituit. augetur nunc & iſtud Orientem versùs non ſolido modò, ſed eleganti etiam tractu. Noviſſimum eſt Magnæ DEI-Parenti dedicatum Seminarium, Clero juxtà, ac Nobili Adoleſcentiâ repletum. opus Georgij Szelepcsénij Principis Strigonienſis. Juventutem ætas provectior conſequatur, & quinis ſexta addatur eorum Domus, qui poſt exantlatos causâ DEI labores, fractásque in ſalute animarum quiete ſolantur vires. Domus S. Emerici appellatur; vulgus nominat Seminarium Deficientium.

Ad ſanctiora Urbis hujus ædificia, & Templum Divæ Helenæ Ptochodochio implexum, & aliud extra Urbem ejusdem generis, ſpectat; quatterna item Seminariorum Sacella: Mariani alterum, alterum Stephanei, tertium S. Joannis Apoſt. Convict. Nobilium, ac Coll. Rubrorum. denique Coloſſi gemini: Sanctiſſimæ nempe Trinitatis Civico in foro; in Academico Virginis ſinè labe Conceptæ.

187. *Minora Ungariæ Tribunalia.*

Facit ad commendationem Tyrnavienſium & illud, quod complectitur Tribunal Regni minus. Quatterna ejusmodi numerat Ungaria: & pro partibus quidem Trans-Danubianis Ginzij erectum eſt; Tyrnaviæ pro Cis-Danubianis; pro Trans-Tibiſcanis Debreczini; Cis-Tibiſcanæ habent Eperieſinum. Erecta ſunt eodem anno, quo majora illa Peſtini, & Conſilium Regium Poſonij, de quibus ſuis locis. vul-

gus nominat Tabulas districtuales; nos minora Tribunalia: nam & numero Judicum definiuntur pauciore, & causæ plerumque minores in judicia ista deducuntur, & denique quia sententiæ horum trutinæ majorum illorum subsant.

188. *Cetera Loca.* Regijs pariter accensentur Urbibus, Modra, Basinium, & Civitas S. Georgij. sui singulas ambiunt muri, & ædificia veteri ut plurimum structura ornant; quamvis extremis hoc, & anno proximè superiore multum labis ignis intulerit. Habet Modra PP. Benedictinos, Basinium Capucinos, Piaristas S. Georgius. Oppida celebrantur: Szeredinum, Galantha, Levardinum, Szomolyan, Szenczinum, Malaczka, Stonfa, S. Joannes, Gajarinum, Divinium, Csaszta, Szuha, & quondam Czifferinum. Arces situ amœnæ, cultu splendidæ, incolis illustres sunt: Vereskőiensis, Detrekőiensis, Eleskőiensis, Sentaviensis, Szomolyanensis, Stonfensis, Kiralyfalvensis, Basinienſis; Divinienſis antiquitate eminet. Certant his Castella: Magyarbélienſe, Cseklészienſe, Malaczkenſe, Levardienſe, Galanthenſe, Szenczenſe, Vedrődienſe, Nadasienſe, Szolocsnicienſe, bina in S. Joanne. minoris famæ sunt: Szuhenſe, & Czifferienſe. Dignitas Supremorum Comitum hæreditaria est Genti Palffianæ.

Supr. Com.

189. *Loca sacra.* Principe ponimus loco Vallem Marianam, ab Icone Virginea à seculis jam prodigijs clarissima, celeberrimam; cujus Basilicæ adhæret illustre Paulini Ordinis Monasterium. Secundas habet medias inter silvas, editiori in loco excitatum PP. Franciscanorum Asceterium ad D. Catharinæ; in quo prima Ordinis jaciunt fundamenta Tirones Seraphici; qui etiam Malaczkæ habitant.

Lingua. Ternas Posonienſis Comitatus loquitur linguas: Ungaricam, Germanicam, & Sclavonicam. Et hæc de singulis Ungariæ Provincijs. Restat, Insulas lustremus, & alia, quæ memoriam merentur, ádque pla-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

planiorem faciunt Ungariæ notitiam. Erit autem hìc quoque ferè mihi ordo, qui in Comitatibus.

§. VI. *Insulæ Ungariæ.*

Ad Occidentem in Regione Szaladienſi nobilis Inſula eſt, quam Dravus ac Mura amplo ſatìs, pulchróque deſcribunt ambitu. Paſſim audit Inſula Muræ, Ungaris Murakőz. Culta olim, & illuſtribus ornata ædificijs. Verùm & hodie fertilis, & à præſtantia vini celebris habetur. Loca Inſulæ non adfero, quoniam ea in Szaladienſi Comitatu dedi. * Retruditur in ultimum Regni limitem versùs Styriam.

Murakőz.

** Vide N. 18.*

Altera Rabæ Inſula in interiora progreditur, variáque complectitur loca: Kereſzturinum medium occupat, à quo ductis partem in omnem ad Geometriæ regulas lineis, ſingulæ æquidiſtant. Habet Præpoſituram Chornenſem Præmonſtratenſium; Arcem item Kapuvarienſem cum Caſtello; Oppida deinde: Mihályi, Szél, Szány; & plura id genus.

Rabakőz.

Jam verò Danubius plures efficit; magis nominatæ ſunt: Inſula leporum, ſive S. Margaritæ Belæ IV. Filiæ, quæ ex Veſprimienſi Monaſterio, hanc in plagam duxit colonias, magnáque vitæ ſanctitate, & prodigijs pluribus Regium à Parente conſtructum Parthenonem illuſtravit. Plura hìc loci Regum Principúmque viſebantur palatia; plura Religioſorum domicilia; inerant quippe præter Sanctimoniales Dominicanas, etiam PP. Dominicani; Seraphici item; tum Præmonſtratenſes & Ciſtercienſes. Inſula hæc aliquando etiam dicta eſt B. Virginis à magnifica ejuſdem Baſilica; aliàs Ur-Szigeth, ſive Inſula Dominorum, ab incolis.

Insulæ Danubij.

S. Margaritæ.

Infra hanc alia eſt Cſepel nominata, hodie Eugeniana à Sereniſſimo reparatore ſuo, aut potiùs novo authore: ornat namque illam, & ad omnes excolit delicias.

Eugeniana.

Tertia eſt Inſula Pilis, quæ montem ejus nominis reſpicit; olim in ea ſuum Paulinis fuit Clauſtrum.

Pilis.

S. Andreæ. Insula S. Andreæ propiùs Vaczium, ferè Rascianorum habitatio est.

Csalókőz. Addatur his, quamvis Septemtrionalior sit, Insula Schûttia, Ungaris Csalókőz. Maxima omnium est, dividitúrque in minorem, & majorem. Incolis Aranykert, latinè hortus aureus appellatur. Nec falsò: fructus enim præstantissimos fert; & quà Posonium respicit, unum ferè pomarium est. Coluit eam magnopere Mathias Corvinus, in quam animi causâ divertere solenne habuit. Præter Comaromium, quod Meridionalem Insulæ angulum tenet, præcipui nominis loca habet: Arcem Eberhardiensem; Castella: Szarvaense, & Kocsarense; Oppida S. MARIÆ, vulgo Somorjam, Szerdahelinum, Csőtőrtőkinum. Ad S. Antonij Franciscani degunt; olim Templarij Eberhardini, & ad S. Jacobi Cistercienses. In hac Insula est pariter Sedes Vajkensis ad Archi-Episcopum Strigoniensem spectans, gaudétque singulari tribunali, & Palatino.

Szamoskőz. Ad Orientem Insula est Samusij, & Szattmarinum includit.

Bodrokkőz. Ad Occidentem Bodrocus similiter Insulam facit, & quædam loca incingit.

Hernádközep. Suam & Hernadus habet intra Cassoviam & Gönczinum; in qua Paulini quoque vivebant. Sunt & aliæ plures, sed minoris famæ, & quas sparsim suis in Regionibus indicavimus.

190. Aquæ Ungariæ. Si qua alia terrarum, Ungaria certè fluminibus majoribus, minoribúsque abundat adeo; ut si naturæ beneficio ars accederet & industria, navigabilis quaquaversum reddi posset, ingenti mercaturæ commodo, & proventu regionum incomparabili. Princeps omnium Danubius est, qui è Germania per Ungariam in Pontum decurrit Euxinum.

Piscosæ. Pisces & maximos, & sapidissimos, quos Regnis alijs, quæ interluit, negat; Ungariæ liberalissimè indulget. Ex hoc husones vastissimi, antacei pulcherrimi, lucij optimi, car-

carpiones, aut si mavis ciprini delicatissimi, sturiones exquisitissimi, barbones pinguissimi. Sed major horum omnium copia in Tibisco, qui in Comitatu Maramarosiensi natus, pluribúsque deinde fluvijs auctus, paullo supra Szalankeményium in Danubium præcipitatur. Id compertum; pisces Danubiales sapore Tibiscanis præstare: fortasse quia lutulentior Tibiscus, Danubius purior. Vagus, quem à licentiori evagatione jure poteris nominare, ortus in Provincia Liptoviensi ad Vicum Vasecz, ad Oppidum Guttam Danubio mixtus, inter majora pariter censetur flumina; alítque Salmones, nobile genus piscium. quod & Poprado Scepusiensis terræ fluvio, & quibusdam alijs commune. Minores fluvij, præsertim, qui intra montes decurrunt, truttarum sunt feraciſſimi. Eadem piscium abundantia & reliquas ditat aquas. Quid multis? ipsæ etiam thermæ, ut ut calidæ, pisces proferunt ad Budam; qui frigidæ immisti emoriuntur.

Accedit ad commendationem Ungaricarum aquarum, quòd aureas quoque, & majores opinione sæpius secum vehant arenas. Tales sunt terni Chrysij, quibus indè nomen. Immo & Danubio multum inest auri, colligitúrque, aut certis in locis colligebatur olim Danubiali de arena purum putum. 191. *Auriferæ.*

Geminæ item sunt: altera ad Neosolium in Valle Dominorum; altera in Scepusiensi terra ad Szomolnokinum; quæ probatissimum ferunt cuprum, & mirabili naturæ artificio, ferreis quibúsve figuris ita illinunt, ut consumpto ferro, formam ipsam, minimis composita ex particulis cuprea exprimat moles. *Cuprifera.*

In eadem Dominorum Valle aqua de montibus profluens, in dispositas ordine cistas illabitur; quas vivacissimo sensim colore implet viridi, cùm tamen ipsa, & in ortu suo, & in progressu sit candidissima. *Colorifera.*

Ad Eperiesinum in Oppido Sóvár salsæ prorumpunt aquæ, quæ deinde grandioribus in cacabis co- *Salifera.*

ctæ, ſalem dant tanto fœnore, ut plura florenorum millia quotannis lucri inferant ærario Regio. In ſubterranei hujus ſpecûs parte eſt Sacellum quoddam de petra ſalis totum quantum exciſſum: ubi & aræ, & ipſa ſubſellia, laqueare item & pavimentum, non, nisì ſal eſt. Hinc & foſſilem habere poſſent operæ ſalem, verùm quia plus emolumenti de aqua, id negligunt. Fons alter Beregienſi in Comitatu, ad eam partem, quæ Ruthenis colitur, ita ſalſus eſt; ut eo & farinam pro coquendis panibus ſubigant, & fercula condiant, quin alium adhibeant ſalem.

Lapidiferæ. Nec illud omittendum, quòd in Scepuſienſi plaga aquæ ſcaturiant, quæ ubi à natali ſolo paululùm progrediuntur, in lapides abeant. Atque iſtiuscemodi ſuccreſcentium de undis lapidum cumulos videre eſt ad ædem S. Martini propiùs Arcem Scepuſienſem. Idem fit & ad vicum D. Andreæ; & alio in loco, ubi ſi lignum aquæ immerſeris, lapide veſtitur. Ad Arcem etiam Fülekenſem caverna eſt; in qua deſtillantes aquæ in candidum abeunt lapidem, idoneíque ſunt, quibus pictores utantur.

192. *Lacus.* Binos habet Ungaria Lacus, majores præ ceteris, & famâ vulgatiores: alter nominatur Fertô, veteribus Pejſo, aut Pelſo, Germanis Neiſidl. Extenditur in longum ad quattuor milliaria, in latum ad duo. Ferunt ſuperioribus proximè annis concuſſam vehementiori motu aquam, plurimos in littora ejeciſſe piſces; atq; ab eo ipſo tempore vaſto in gurgite rari nantes. Alter Balaton dicitur, longior multùm, ſed anguſtior Fertône. Alit piſces harum partium optimos. Frequentibus circum undique & Oppidis habitatur & pagis. Complectitur peninſulam, in cujus rupe Abbatia ſtat Tihanyienſis, deſpicítque Oppidum, vineas præterea, agros, prata, & ſilvas, quæ terra illa includit. Occurrunt paſſim & ſtagna majora, & lacus alij Carpaticos per montes ſparſi; ſed quoniam ſuſcepta

ſcepta brevitas vetat per ſingula diſcurrere, hæc modò dediſſe ſuffecerit.

193. *Fontes. Acidi.* Qui Fontes Ungariæ, præſertim acidos, datâ operâ ſcribere vellet; majorem is, ac hic ſit, librum conficeret: paucæ enim hoc in Regno terræ ſunt, quæ delicijs iſtiusmodi carerent; immo pluribus in locis, terni, quaterníve, aut ampliùs reperiuntur fontes, qui acidas eructant aquas. Nos paucis contenti celebriores nominamus; quales ſunt: Tarcſenſes in Comitatu Caſtriferrei ad Szalanokinum; deinde Tihanyenſes, quibus magna ineſſe dicitur ſalubritas; tum in Comitatu Zolienſi, alteræ ad Arcem ejus nominis, alteræ ad montem Király-hegy, certa ſplenetico-rum medicamenta. Laudantur multùm & Levenſes, Saároſienſes, Scepuſienſes, Liptovienſes, Trenchinienſes; in quibus omnibus plures reperiuntur, & virtutis diverſæ. Sed & alij vim habent medicam, quamvis nec acidi ſint, & puri præterea ac illimes. *Salutiferi.* In Beregienſium plaga ſupra Munkacſinum, eo in monte, qui Oroſvégienſi opponitur, habuítque Baſilianas olim Moniales, eſt fons, qui ſomnum conciliat, articularibúsque medetur morbis. In Ungenſi ad Oppidum Szobrancz ſtagnat alter eadem pollens virtute, ſed podagricis in primis, & paralyticis proficuus. In Aba-Ujvarienſi inter mœnia Urbis Caſſovienſis, & Regiam nitrati pulveris molam erupit fonticulus Anno ſeculi hujus ſexto, qui ante ortum ſolis hauſtus tertianam curat, mirámque evehendi bilem poſſidet virtutem; pedum item dolores omnes tollit, ſi de eo calidâ abluantur. Propiùs Mislam ad Æ diculam D. Magdalenæ proſilit alter magnarum non minus virium, & multorum hoſtis morborum; quem Georgius Wernherus laudatiſſimum ſua ætate fuiſſe refert, & plurimùm commendatum. In Poſonienſi, non procul ab Arce Jókô, ſaluberrima pariter erumpit aqua; unde & nomen ſortita eſt *Aquæ bonæ.*

194. *Thermæ.* Suorum in Ungaria prodiga beneficiorum natura, cumulavit eam thermis quóque, & frequentibus, & in salutem incolarum bellè comparatis. Varia earum genera in Pilisienſium Provincia ad Budam sunt; deinde in Strigonienſi ad radicem montis illius, quem Arx premit. Habent suas & Pestienſes, sed minoris nominis; & Hevesienſes ad Agriam; & Biharienſes, ad Varadinum D. Ladislai, Ungaricarum fortasse omnium amœnissimas; & Liptovienſes ad pagum D. Joannis; & Turoczenſes ad Stubnam, frigidâ undique circumfusas; & Trenchinienſes uno ab Urbe milliari intra montes sitas; & Barsienſes ad vicum Sklenou; & Nitrienſes ad Arcem Bajmoczenſem; aliàs ad Beliczium, & Pöstyin. Multæ adhæc diversis in locis scaturiunt calidæ aquæ, lavandis peroportunæ corporibus, sed singulas non est hujus loci exhibere. Pollent diversa medendi vi, & multis, magnísque frequentantur hospitibus etiam gentium longè positarum, præsertim Trenchinienſes, & Stubnenſes. ferè omnes curant morbum, cui vel bilis nimia, vel copiosior stationem fixit pituita. Liptovienſes scabiem tollunt, & maculas cuti inhærentes.

Est & frigida multis in locis, quæ non minùs, ac thermæ, prodest, si fervefacta balneum componat: ad Capitulum Scepusienſe hujusmodi est multùm calcinosa; ad Cassoviam in Bankone ferrea; ad Posonium in S. Georgio sulphurea. Alia in alijs locis.

Aquæ lethiferæ. Aquarum terminum definiant pestilentes: ad Arcem Saároſienſem duo fontes sunt, qui & aves enecant, & majora pecora, siquidem illos delibaverint; mitior est, qui ad radices Carpati versùs Scepusium emanat: solis quippe volucribus nocet. In Zolienſi Comitatu ad pagum Ribar fatalis quædam fossa patet, funebribúsque stagnat aquis, quæ & prætervolantibus avibus, & accedentibus propiùs animantibus, certissimum adferunt exitium. quæ loca probè omnia septa sunt, ne jacturam faciat res œconomica.

Plu-

Plurimùm quamvis in campos planetur Ungaria, assurgit tamen etiam in montes, tum mediterraneis in partibus, tum vel maximè suos ad limites: ij námque, qui ad Posonium incipiunt, catenata quadam serie in Maramarosienſem usque plagam protrahuntur; ubi rursum inchoant alij, & in Severienſi finem accipiunt. Et quamvis hæc montium catena una sit, diversa tamen sortitur nomina: vertices namque, qui Moraviam respiciunt, Montes albi; qui Poloniam Tatri, sive Carpatici; qui Russiam, appellantur Beszkedij. Altissimi sunt ad Kesmarkinum Carpatici, Italicásque supereminent alpes, & quascunque alias. in quibus vis immensa arborum, ferarum, avium, rerúmque plurimarum, non necessitati modò, aut utilitati; verùm etiam luxui, innocuæque voluptati servientium, multùm supra modum invenitur. Sed nos de singularibus montium agamus muneribus. 195. *Montes Ungariæ.*

Aurum Ungaricum tota dilaudat Europa, & magnis Scriptores quique encomijs extollunt; suis illud è montibus ad Cremniczium, Schemniczium item & Nagy-Bányam eruit Ungaria. Plures olim septenis in Civitatibus montanis, in Strigonienſi deinde ad Berseny, in Aba-Ujvarienſi ad Telkibánya, in alijs alibi, hujusmodi scissuras auri numeravit. *Auriferi.*

Iidem qui aurum, etiam argentum præbent montes: néque enim unum absque altero eruitur in Ungaria. Modum separationis, machinásque ceteras, quæ in præcipuis montanarum Civitatum visuntur, longum foret scribere; satius fuerit oculis intueri. *Argentiferi.*

Cuprum effoditur copiosissimum in Valle Dominorum ad Neosolium; Szomolnokini item in terra Scepusienſi; denique Rosnaviæ; pluribúsque in locis, sed proventu minore. *Cupriferi.*

Ferrum producunt, & probatissimum illud montes Gömörienſes, Scepusienſes, Tornenſes; item ad Neosolium Jessenenſes, & Rhonyicsenſes. Effodiunt istud & Cassovienſes, qui non ita pridem precioſio- *Ferriferi.*

ris etiam fossas metalli aperuerunt. multísque alijs in locis, reddita pace, novæ in dies exercent terram operæ, intimioráque benignæ matris scrutantur viscera, nec vacuo lucri labore.

Saliferi. Præstantissimum tota Europa salem suis includit montibus Maramarosiensis Regio; ubi saxorum ad instar cæditur, totáque Ungariâ, ac vicinis distrahitur Provincijs. & licèt noctibus isthìc diebúsque sudent mallei, tanta tamen abundantia est, ut deesse omnino videatur nihil.

Rerum diversarum progenitores. Infinitus sim, si montium Ungaricorum sigillatim commemorem opulentiam: ferunt enim hi & hydrargirum, latinè argentum vivum, colligitúrque in Comitatu Gömörienſi; quanquam & in plano Cassovienſi, dum fundamenta Lauretani Sacelli ponerent PP. Franciscani, ingens copia metalli istius reperta est. Plumbum similiter & olim, & nunc passim extrahitur. Sed negligentiùs habetur. Varij deinde iíque precioſiores colores: ut auripigmentum, cinnabaris, minium, chrysocolla, lapis lasulus, lithargyrus, & plura id genus, tum ad montanas Civitates, tum in montibus Matræ, tum vel maximè in Carpaticis; qui jure gazophilacium Ungariæ dici possent, si colerentur: hìc enim & virgulta aurea, & flores aurei, & diversæ gemmarum species, quibus raritas precium dat, repertas fuisse pro comperto habemus. Inchoferus scribit, dum Romæ ageret, ad Kesmarkinum erutos carbunculos. Magnetes reperire est ad Schemniczienses ferrifodinas, item ad Muranyensem Arcem; Asbestum uri nescium Dobsinenses supra Rosnaviam montes, copiosissimè dant; in quibus etiam, quemadmodum & ad Solnam, carbones fossiles reperiuntur. Marmor porrò ad Oppidum Tatam tam candidum, quàm rubeum scinditur. Invenitur illud & ad Neosolium. olim ad Albam-Regalem, & Strigonium operas fatigabat. Sulphur supra Vicum Pernek in Comitatu Posonienſi eggeritur. Alabastrum

ſtrum de varijs montibus accipitur. Adde his antimonium, cryſtallum montanam, aliósque laudatiſſimos lapillos, quos felix terra his, aliísque in partibus elaborat, & in populum vulgat.

Natalis vini Patria eſt Ungaria. Multam multorum montium partem, colles plurimos, quin & plana, vites iſthìc occupant. Pauci Comitatus ſunt, qui ſua non gaudeant vindemiâ. Celeberrimum Europâ universâ Zemplinienſes Tokainis de montibus accipiunt vinum; cui an ſimile Orbis terrarum proferat, non immeritò dubitant multi. Uno communi nomine, à præcipuo ſubmontanorum Oppido mutuato, plures montes indigitantur; re autem ipſa & ſitu, & tractu, & nomenclatura, ſed & bonitate, ac virtute differunt. Optima omnium Tarczallenſia ſunt, quæ colliguntur ex Mézes-mál; reliqua ſequuntur. Tolcsvenſia maximè durant; nec quidquam, commiſſa mari, ínque Angliam transvecta, capiunt vitij; quod alia non habent; utì experimento mercatorum didicimus. Zomborienſia ferè ſunt fortiſſima; paullo mitiora alia, & amœniora. Illud de vinis harum partium præſtantioribus, præſertim, quæ de paſſis uvis exprimuntur, mirabile: quòd ſingulari medendi vi prædita ſint: ſcio ejuſmodi hauſtu depulſum lethargum; calidas, quartanas item curatas febres; ſedatam denique plurium horarum phrænęſim, hominémque ſibi ita redditum, ut ſupremo rite comparari potuerit agoni, ſpectavi ipſe, & ſtupui. 196. *Colles vitiferi.*

Laudant etiam ſuum Sopronienſes vinum; & terræ, quæ lacui Fertõ objiciuntur. Deinde commendant Szaladienſes inſulanum; Baranyienſes Quinque-Eccleſienſe; Piliſienſes Budenſe; Beregienſes ſuum & Muslaienſe; ſuum item Unguarienſes, & Szeregynenſe; Aba-Ujvarienſes Szantovienſe, & Heczenſe; Borſodienſes Miskolczenſe; Agrienſe Heveſienſes; Poſonienſes S. Georgienſe, Recſenſe, & vicinorum locorum.

Est tamen & illud memorabile, quòd multæ Regni hujus vineæ auro incubent; nam & vites aureæ visæ sunt, & tinctæ auro uvæ, & grana ipsa aurea reperta. Sed de montibus satis.

197. *Silvæ, & Feræ.* Quemadmodum montes, ita & silvæ exornant Ungariam; junctæque commodo serviunt publico, & innocuæ voluptati. Sunt & aliæ, nec illæ incultæ, quæ in plano protenduntur; sed maximi & nominis, & vastitatis est silva Bakonyia; plures per Provincias extensa, plura etiam acquirit nomina: alibi enim Bakony, alibi Virtes, Farkas-Erdôje appellatur alibi. Tot inter virentia terræ istius domicilia; immane quantum exundant omnis generis & aves quæque preciosissimæ; & feræ innumeræ, tum communes illæ gentibus alijs, tum singulares; hìc atagenes, phasiani, urogalli, perdices, & quæ non aliæ mensarum deliciæ? hìc ursi, lupi, & lepores albi; silvestres capreæ, lynces, martes, alces, uri, & respublica animantium sine fine.

198. *Terræ fecunditas.* Atque ex dictis palàm omnibus fit, quàm fœcunda rerum, omniúmque dives sit Ungaria; cui nihil omnino ad bene, beatéque vivendum deesse voluit bonus ille Deus. non hæc suam invidet Italiæ Campaniam; non regiones alias, terris juxtà ac procul dissitis felicissimas; ipsa altrix nationum est, ipsa mundi, propè dixerim, compendium.

199. *Cœli temperies.* Quod temperiem cœli attinet, ea sanè percommoda est; & si temperare quidem tibi ab amicitia Bacchi noveris, seculum etiam superâsti. & licèt vehementior succendat dies sol, noctem frigidior luna constringat; fræna tamen & huic ponunt Favonij, & illi Aquilones. Novi Wittembergensem illum declamatorem, qui nobile illud, si Superis placet, scoma jecit in Ungariam: pestilentibus eam exuberare lacubus; essèque exterarum sepulchrum gentium. ita sanè: sed lacus hi ad Tokainum hiant; & reconditoria mortuorum sunt dolia Ungarorum.

Dedi-

Dedimus Ungariam pro modulo noſtro, non pro dignitate, non pro majeſtate tam eximij, tam ſingularis Regni. Sed enim fatendum ingenuè eſt: altiori eam conſiſtere loco, quàm ut noſtra eò pertingat humilitas. tamen *in rebus magnis*, ùt inquit Bracharenſis, *etſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus tamen erit ipſe conatus.* Atque hoc ipſum Regnum iſtud eſt, quod Divina illa providentia genti nihil tale merenti, jam inde ab Orbe condito, mirabili, atque adoranda nobis liberalitate diſpoſuit, & ornavit; tandémque poſt plures rerum converſiones, incolendum tradidit, & donavit. Duces peregrinanti, & inhabitanti plagas has Ungaro initiô fuêre; tum Stephanum Regem, nec ſinè prodigijs obtinuit, cui utpote & nomen, & imperium, & corona de Cœlo venit. quæ in hanc uſque diem octavum jam in ſeculum nulla temporum iniquitate labefactata, populum hunc, cui benedixit Dominus, tuetur ſemper; ejúsque incingit Reges, in quibus jure poſſit gloriari.

200. *Ungaria in Regnum elevatur.*

Verùm de Cœleſti hoc theſauro addenda compendio pauca: Corona Ungariæ à Silveſtro P. M. Anno M. Stephano I. transmiſſa, paſſim ſacra audit, Angelica item, & Apoſtolica; quippe munus DEI ſingulare eſt ac ſanctum, præmonente Angelo, Apoſtolica à Sede Regno huic donatum. Quod tantam ſemper apud Reges, populúmque venerationem habuit, atque etiamnum habet; ut nec illi regnare, nisì antè incincti, nec iſti Regi velint aſſurgere, nisì coronato. Lex porrò obtinet nulla, nisì à tali feratur, aut firmetur. Illud prodigio non vacat: cùm multa Regna, ac Provinciæ, ſecundùm Stephani Sancti mortem, Ungariæ acceſſiſſent, tamen omnia illa ſuum agnoſcunt Monarcham, ut primùm Ungarico ornatur diademate; quaſi ſingula in uno illo ſuas etiam apponerent coronas. Hoc Regum duntaxat capita premit, Reginarum autem humeros ſolummodo tangit. Ampliſſimis in Ungaria gaudet latipundijs, quæ *Bona*

Sacræ Coronæ Ungariæ prærogativæ

Coronæ appellantur. Olim Viſegradi, hodie Poſonienſi in Arce, ſummâ curâ, ac vigilantiâ cuſtoditur. Duo è primis Proceribus Coronæ Cuſtodes leguntur, quorum fidei & diligentiæ depoſitum tantum committitur; éſtque iſtud in primis Regni munijs. Sed nec ſilendum illud; quòd nullius hactenus, nisì Catholici Principis verticem coronaverit, quamvis & apud Barbaros, & apud Heterodoxos detineretur: noluit nempe bonitas Divina munus ſuum profanari; ſed illibatum, ac ſacroſanctum ſuæ conſervare Ungariæ. Ad extremum, ſi qua in re, in hoc certè diademate mira DEI in Ungariam eluxit providentia: acceperat illud Wenceslaus Bohemiæ Rex, ſecúmque abduxerat; mox Ottoni in Bavariam transmiſit; à quo perditum, ac inventum, in Tranſſilvania detentum eſt à Ladislao Vajvoda. Hæſit iſthìc diutius, donec tandem Ungariam repeteret. At novæ rurſum inſidiæ ab Eliſabetha Sigismundi Filia, Alberti Regis Conjuge, quæ coronam cum Ladislao Poſthumo in Auſtriam transfert, diu ac multùm captivam futuram, nec nisì ſexaginta millibus aureorum redimendam. Poſt Mohacſienſem porrò cladem Petro Perényio capto, capta quóque hæc corona eſt, ínque barbaram Solimani poteſtatem venit; qui eandem Joanni Zapolio reddidit. à cujus morte per Iſabellam Viduam rurſum in Tranſſilvaniam accepta eſt, & mox Ferdinando reddita, & Poſonium illata. Inde migravit Viennam, cum Rudolpho autem reſedit Pragæ. Redijt tandem ſub Mathia II. ac Poſonij repoſita. Inde eam Bethlehemius ſuſtulit, quam pace cum Cæſare conſtituta, etiam reſtituit. Tôkôliano ſub tumultu, nuperno item Civili bello, quò ſecuriùs ageret, Viennam translata eſt, ac iterum in Ungariam relata. Tot inter peregrinationes, multáque pericula, ac veluti exilia, magnus ille præpotentis DEI oculus intentâ quadam vigilantiâ eam cuſtodivit, & perenne ſuæ in Ungariam providentiæ tanquam ſymbolum ac monumentum conſervavit.

FINIS LIBRI I.



LIBER II.

UNGARIÆ REGES.

Eorum accurata, quantùm potuit, Genealogia, acta item illustriora, & fata.

Argumentum & Synopsis Libri II.

I. REX *S. Stephanus. Ejusdem Conjux. Filius. Coronatio. Mors. Acta. Sanguine junctι.* II. R. *Petrus. Ortus ejusdem, & occasus.* III. R. *Aba. Uxor. Acta. Interitus.* IV. R. *Andreas I. Uxor. Proles. Acta. Mors.* V. R. *Bela I. Uxor. Liberi. Acta. Mors.* VI. R. *Salamon. Uxor. Acta. Mors.* VII. R. *Geysa I. Uxor. Liberi. Acta. Mors.* VIII. R. *S. Ladislaus I. Acta. Obitus.* IX. R. *Colomanus. Uxores. Liberi. Mors.* X. R. *Stephanus II. Uxor. &c. Mors.* XI. R. *Bela II. Uxor, &c.* XII. R. *Geysa II. Uxor. Filij, &c.* XIII. R. *Stephanus III. Conjux, &c.* XIV. R. *Ladislaus II. &c.* XV. R. *Stephanus IV. &c.* XVI. R. *Bela III. &c.* XVII. R. *Emericus, sive Henricus, &c.* XVIII.

R. *Ladislaus III.&c.* XIX. R. *Andreas II.&c.* XX. R. *Bela IV. &c.* XXI. R. *Stephanus V.&c.* XXII. R. *Ladislaus IV.&c.* XXIII. R. *Andreas III. &c.* XXIV. R. *Wenceslaus,&c.* XXV. R. *Otto Bavarus,&c.* XXVI. R. *Carolus I.&c.* XXVII. R. *Ludovicus I.&c.* XXVIII. R. *Maria.&c.* XXIX. R. *Carolus II. Ungaris dictus parvus, &c.* XXX. R. *Sigismundus Imp.&c.* XXXI. R. *Albertus Imp. &c.* XXXII. R. *Wladislaus I.&c.* XXXIII. R. *Ladislaus V. Posthumus, &c.* XXXIV. R. *Mathias Corvinus. &c.* XXXV. R. *Wladislaus II.&c.* XXXVI. R. *Ludovicus II. &c.* XXXVII. R. *Joannes de Zapolya. &c.* XXXVIII. R. *Ferdinandus I. Imp.&c.* XXXIX. R. *Maximilianus II. Imp. &c.* XL. R. *Rudolphus Imp.&c.* XLI. R. *Mathias II. Imp.&c.* XLII. R. *Ferdinandus II. &c.* XLIII. R. *Ferdinandus III. Imp. &c.* XLIV. R. *Ferdinandus IV. &c.* XLV. R. *Leopoldus Imp.&c.* XLVI. R. *Josephus Imp.&c.* XLVII. R. *CAROLUS III. Imp. Augustissimus hoc nomine VI.*

38
17
55

S. STE-

SANCTUS STEPHANUS primus Ungarorum Rex, ex genere Magni Attilæ Patre Duce Geysa, qui primus, desertâ Majorum superstitione, sacra amplexus Christiana est Anno nongentes. octuagesimo tertio; Matre autem Saroltha, Gyulæ Transilvanorum Ducis Filia; Progenitoribus sanctissimis, ante per Angelum, ac D. Proto-Martyrem Stephanum de nascituro Rege Filio admonitis, editur in lucem Strigonij Anno nongentes. octuages. quinto. Duodennis, defuncto vitâ Parenti, succedit. Anno M. ipsa in Cœlos Assumptæ Virginis luce, missо ab Urbe, sed destinato de Cœlis, incingitur diademate; titulo Regis Apostolici ornatur; júsque Crucis sanctissimæ sibi præferendæ accipit. Quinquennio pòst Giselæ sive Gislæ Sorori S. Henrici Imperatoris matrimonio jungitur; de qua septimo supra millesimum nascitur S. Emericus, sive Henricus; qui Conjux & Virgo diem obit quarto & vigesimo ætatis anno. quem secutus Parens; die, quo Coronam olim acceperat, Augustissimæ Virginis sacra, Imperium & vitam claudit Anno Millesimo trigesimo octavo; Albæque tumulatur. Gisela, sive altero à morte mariti Regis anno, sive tardiùs, cum Socru Ungariâ excedit; & in Parthenone Patavienſi, hodie Passavienſi Anno Millesimo nonages. quinto, teste Bruschio in *Laureaco*, emeritam Cœlis infert sanctimoniam. Stephanus & Emericus miraculis clarissimi, petente S. Ladislao Rege, probante S. Gregorio VII. Summo Pontifice, tumulo levantur Anno Milles. octuages. tertio, die Augusti vigesima, móxque inter Sanctos referuntur. 1. S. Stephanus.

STEPHANUS quam à Parente acceperat Provinciam, Regnum facit; & debellato Avunculo suo Gyula Duce, adjectâ Ungariæ Transilvaniâ, amplissimè dilatat. Populum utrumque sacris Catholicis imbuit, & Ecclesiæ subdit Romanæ. Hostes quà domesticos, quà exteros armis, prudentiâ, ac prodigijs in triumphum ducit.

Vide plura lib. 1. N. 78.

Sanguine junctos habuit, & quidem ex Michaële germano Geysæ Parentis natum Vazulem; hæredem non dubium Regni, nisi auribus eum, oculísque spoliâsset perfidia malevolorum. Hujus item Vasulis Fratris Ladislai Calvi Filios: Andream, Belam, & Leventam. Ipse Divus Rex ternas numeravit Sorores: Saroltham Abæ Pro-Regi nuptam; alteram Duci Venetorum elocatam Anno Milles. nono, uti vult Dandulus Scriptor Venetus; tertiam juxta Petrum de Reva Giselam, Comitis Pictaviensis Guilielmi Uxorem. Quartam addit Fridericus Luca in M. S. Silesiæ Chronico, Juditham Boleslao I. Silesiæ Duci, qui deinde Poloniæ Rex, nuptui datam, de qua ait Miecislaum suscептum.

II. *Petrus,*

PETRUS Anno Milles. trigesimo octavo exeunte, aut initio sequentis Regnum accipit. Vix bene evoluto biennio, pellitur. Restituitur post tres ferè annos ab Henrico III. Anno Milles. quadrages. sexto excæcatur, & carceri mancipatur; sequenti in eodem vivere desinit. Sepelitur Quinque-Ecclesijs in Basilica à se constructa. A multis vapulat hominis crudelitas, superbia item, & avaritia. De prolibus Petri nihil constat. Uxor fuit Juditha Bohema, mortua Milles. quinquages. sexto. Ipsum verò alij dicunt esse Filium Ottonis Ducis Venetiarum ex Sorore S. Stephani; ut Dandulus, & Hermnanus Contractus. Alij Comitis dicti Pictavienſis, cujus etiam Filia Gisela Petri Soror germana Henrico Romanorum Regi, Conradi Imperatoris Filio matrimonio fuit juncta; ut Inchofferus; qui existimat: ideo profugum ex Ungaria

ria Petrum non quæsijsse apud Venetos patrocinium; sed apud Henricum, quoniam sibi affinitate junctum sperabat fore adjutorem.

ABA ex Comite Palatij Regij, sive Pro-Rex habens in matrimonio Sororem D. Stephani Saroltham, Rex salutatur Anno Milles. quadrages. primo. Interimitur quarto. Vir animo magnus, & manu fortis, felíxq; planè Imperator; si, quæ in Petro bene oderat, suam malè in vitam non traduxisset flagitia. Post aliquot ab obitu annos nobiliori inferendus loculo, ínque Cœnobio Saárienſi, quod de suo condidit, tumulandus; dum levatur, obductis cicatrice vulneribus, corpore ac vestibus integer reperitur. III. *Aba.*

De hæredibus non constat. illud ex decreto Belæ IV, quo Privilegia Episcopatûs Agrienſis innovat Anno Milles. ducentes. sexages. primo. clarum fit: exstitisse quosdam de genere Aba, ampléque dominatos in Regionibus Aba-Ujvarienſi, Borsodienſi, ac Hevesienſi.

ANDREAS I. Filius Ladislai Calvi, D. Stephani Regis Patruelis, ex Michaële Geysæ Ducis Fratre, eligitur Anno millesimo quadragesimo sexto, sequenti coronatur. Uxor apud Bonfinium Admunda Ruthena; Filius Salamon; Filia apud Scriptores Polonos Adelhaida, Wratislao Duci Bohemiæ juncta, Anno milles. quinquages. sexto; mortua sexages. secundo. Interit Andreas in pugna Anno milles. sexages. primo. Sepelitur in Ecclesia S. Aniani Abbatiæ Tihanyienſis à se fundatæ. Quô favorem emeret plebis, sive favit, sive dissimulavit, dum nova moliretur illa, veterúmque reduceret cultum deorum. Mox facti pœnitens Christianam restituit rem, & suum religioni florem. De Henrico III. eodem anno bis triumphat, triumphaturus etiam de Fratre germano, si moderari sibi novisset. IV. *Andreas I.*

BELA I. sive ADALBERTUS (ùt est in fragmento fundationis Abbatiæ Sexardienſis Anni milles. V. *Bela I.*

les. sexages. primi, Regni ejus primi) cæso Andrea coronatur. Uxor, Filia Mesconis, sive Miecislai Poloniæ Ducis. Liberi: Geysa, Ladislaus, Lampertus, & Sophia (quæ cum Marito suo Comite Lamperto condit Præposituram Bozokiensem) & Filia altera, primùm Wilhelmo Thuringorum Duci desponsata, deinde Udalrico Marchioni Carinthiæ elocata, ùt est apud Lambertum Schafuaburgensem. Extinguitur Bela ruinâ domûs Anno milles. sexages. tertio, & in æde Sexardiensi SS. Salvatoris terræ creditur.

Jure, an injuriâ, Fratrem Andream armis impetat, quis divinet? ceterà populum, impia Hunnorum sacra iterum reducere conantem, sapienti consilio opprimit; neu caput unquam hydra exerat, funditus exscindit. Primus, quod sciam, argentum signat, mensuras & pondera definit, precia venalibus rebus ponit.

VI. *S. Salamon.* S. SALAMON, Filius Andreæ Regis, vivo Patre Anno milles. quinquages. tertio, quinquennis coronatur; sed regnare non, nisì mortuo Bela Anno milles. sexages. tertio incipit. quo etiam Henricus IV. tradit ei in matrimonium Sororem suam, vivente adhuc Henrico III. Parente, desponsatam. Nomen ejus Judith potiùs, quàm Sophia, ùt patet ex epistola Gregorij VII. Pont. Anno milles. septuagesimo quarto ad eam ipsam data; nisì fortasse duo habuisset nomina. Liberi nulli. Excedit vitâ Salamon pœnitens in eremo, apud Polam Istriæ Urbem; ubi publica Sanctorum veneratione colitur.

Ludus fortunæ Salamon, cui regnare, aut bellare est, aut fugere. Ter regnum tenet, ter amittit. sed vel victus vincit: quando illudentibus toties coronis, victor glorioſus illudit; soliúmque eremo mutat, & temporarium fugiendo, sempiternum obtinet diadema.

VII. *Geysa I.* GEYSA I. Filius Belæ I. invitus licèt, communi tamen Procerum ac populi suffragio compulsus, Regium

gium admittit nomen, & coronam. Primus Regni annus, in instrumento erectionis Abbatiæ S. Benedicti ad Granum, ponitur Annus milles. septuages. quartus. Uxoris genus & nomen nondum mihi repertum. Liberi: Colomanus, Almus, Sophia Conjux Magnonis, seu Magni Ducis Saxoniæ; altera nupta Græcorum Imperatori, fortasse Pyrisca, sive Piroska, quam nonnulli Filiam D. Ladislai putavêre; tertia cuidam Comiti apud Ratisbonam, ùt colligitur ex *tom.* 1. *antiquæ lectionis*, ab Henrico Canisio Noviomago Anno 1601. publicato. Obit Anno milles. septuages. septimo, Kal. Maji. Vaczij in Cathedrali B. Virginis Basilica sepelitur.

Magnus à suis audit, quia inermis maximos vincit. Pater deinde Patriæ, quia singulari cura & providentia in populum dominatur. Denique bis Rex, quem & DEUS per Angelos, & Ungaria per Præsules incingit. Artibúsne politicis, an vitæ sanctimoniâ fuerit major? dubium facit.

S. LADISLAUS Filius Belæ I. Geysæ germanus, & ipse reluctans regnare jubetur Anno (ùt verisimile est) milles. septuages. septimo, insequenti coronatur. De conjugio nihil constat. Abit in Cœlum Anno milles. nonages. quinto III. Kal. Augusti. In Mariana Varadinensis Episcopij æde reconditur. VIII. *S. Ladislaus*

Dum regnat, ferè semper bellat, & vincit Ladislaus. Adhuc Dux sub Salamone Belgradum jungit Ungariæ; jam Rex etiam Croatiam cum Dalmatia; juréne belli, an affinitate? discordant Authores. Chunos, Roxolanos, Tartaros, & quosvis hostes ad internecionem iterum, ac sæpius cædit, uno interdum futuro cladis nuncio relicto. Primus gladio jungit corollam Beatissimæ Virginis, & Martialem hactenus populum, Marianum efficit militem. Primus item ejusdem Magnæ Dominæ Effigiem infert auro Ungarico; & quam D. Stephanus *Dominam* nominaverat, *Patronam* dicit Regni Ungariæ, Rex undique Mariani-

nus. Sed & Thaumaturgus: in lapides vertit aurum argentúmve; saxa in fontes liquat & flumina; famem militum, adductis per preces cervis & bubalis, sedat; infinita id genus alia, vivus ac mortuus agit.

IX. *Colomanus.* COLOMANUS Geysæ I. Filius Anno milles. nonages. sexto ex Polonia revocatus coronatur. Uxor prima Filia Rogerij Siciliæ Comitis. Liberi ex hac: Stephanus, Ladislaus, ac Sophia. Altera Ducis Russiæ Filia; ex qua Filius Borichus, ab Ungaris pro Colomani Filio nunquam agnitus. Desinit vivere Anno mill. centes. decimo quarto, aut certè initio sequentis. tumulatur Albæ.

Homo durus & asper, nec pacem cum exteris colit, & germanum in sanguinem domi furit. Exoculat Almum, & ejusdem Filium Belam, adolescentulum noxæ ignarum. Mortuus defletur à plebe, non quòd imperare desierit, sed quòd seriùs desierit.

X. *Stephanus II.* STEPHANUS II. Colomani Filius Anno milles. centes. decimo quinto Regno præficitur. Uxor Filia Boleslai Ducis Poloniæ; Liberi nulli. Moritur Anno milles. centes. triges. primo. & Varadini terræ creditur.

Multa cum multis, nec infeliciter bella gerit; firmat res in Dalmatia Ungaricas; Thraciam ac Macedoniam nominis & armorum timore implet. Ante fata cucullum induitur, signum pœnitentiæ; fortasse: quia fune sarcire volebat, quæ malè ruperat fræna temperantiæ.

XI. *Bela II.* BELA II. cæcus, Almi, Fratris Colomani, Filius, à Stephano Rex renunciatus, & forsitan etiam coronatus; Anno eodem, quo Stephanus obit, solium capit & imperium. Uxor Helena, Uri, Serviæ Reguli Filia. Liberi: Geysa, Ladislaus, Stephanus, Almus, Gertrudis, & Sophia: hæc Conradi Imperatoris Filij Uxor; illa Miecislai Ducis Poloniæ, qui cum perpetuam servat virginitatem. Ex hydrope

Rex

Rex moritur Anno milles. centes. quadrag. primo, & Albæ tumulatur.

Mirabilis prorsus DEI providentia! quem, ne regnaret, privavit oculis Colomanus, vel cæcum effert in thronum Belam; maláque mortalium consilia, arte Cœlo nota vertit in bonum. Ceterà adjicit Ungariæ Ramæ Provinciam, invasores Regno depellit, Urbes extruit, prudentissimè denique juxtà ac sanctissimè in populum dominatur.

XII. *Geysa II.*

GEYSA II. Filius Belæ cæci. Uxor, Filia Minoslai Russiæ Principis. Filij: Stephanus, Bela, Almus, aut Arpadus Stephano Fratri regnanti rebellis, atque eâ causâ quinque & decem ipsos annos in carcere tentus, ùt notavit Godefridus Monachus Colonienſis. Filia Helena, data in matrimonium Leopoldo Henrici I. Ducis Austriæ Filio Anno milles. centes. septuages. quarto, utì est in Chronico Australi. Antea verò videtur Albertus Marchio Austriæ habuisse Uxorem Filiam Almi Ducis, quod indicat Otto Frisingensis Lib. 7. c. 21. de motu Boritij, sive Borichi scribens. Obit diem suum Rex Anno milles. centes. sexages. primo, Albæque tumulatur. Stephanum Fratrem ab hoc Geysa proscriptum fuisse tanquam Regno inhiantem, testis est Radevicus de gestis Friderici I. ad Annum 1158.

Non minùs II. hic Geysa, ac olim I. nomen meretur Magni. Nondum Vir, potentissimos debellat adversarios; sacra juxtà ac profana cumulat, & tuetur; evocatis de Saxonia populis auget Regnum, & ornat. Vivit, & moritur non secus ac Pater, religiosè & sanctè.

XIII. *Stephanus III.*

STEPHANUS III. Filius Geysæ II. Conjux Agnes, Filia Henrici I. Ducis Austriæ, S. Leopoldi Filij. Nuptiæ milles. centes. sexages. quinto. ita Chronicon Australe, concordans cum alijs. Elato Parente Regnum auspicatur. Patruos suos, Belæ cæci Filios, Ladislaum II. & Stephanum IV. vivens ipse

Reges videt, mortuos brevì ſequitur Anno milles. centes. ſeptuages. tertio, & in Baſilica Strigonienſi ſepelitur.

Multa cum Venetis Græcísque gerit bella, variâ Fortunâ; ſed nec Civilibus vacat à diſcordijs, ſectâ in partes Ungariâ. haud omnino felix Rex, cùm nec Liberos relinquit ullos, & veneno vitam terminat.

XIV. *Ladislaus II.* LADISLAUS II. Patruus Stephani III. regnat menſibus ſex Anno milles. centes. ſeptuages. ſecundo, ùt Ungariæ Hiſtorici memoriæ produnt. At exteri Scríptores referunt: ſecundùm fata Geyſæ II. turbas extitiſſe in Ungaria propter imperium. Quare forſitan non incongruè Chronicon Admontenſe: Anno 1162. *Gontho*, hoc eſt, Geyſa, *Rex Ungariæ moritur, pro quo Ladislaus Frater ejus regnavit.* 1163. *Ladislaus Rex Ungariæ moritur, pro quo Stephanus coronatur, cui rebellat Stephanus Filius Fratris.* Conſtat autem ex monumentis Venetis ad Annum 1166. à Stephano Rege III. Filiam Ladislai Ducis Mariam elocatam fuiſſe Nicolao Comiti Arbenſi. Ladislaus hic in Albenſe Mauſoleum infertur.

XV. *Stephanus IV.* STEPHANUS IV. Patruus itidem Stephani III. vel forſan ex Fratre in carcere diu clauſo nepos, Ladislao II. vitâ functo, uſurpat imperium, & quinque tenet menſibus. Sepelitur Albæ. quem mox Stephanus III. ſequitur. Ita continuatis funeribus terni breve intra tempus elati ſunt Reges.

XVI. *Bela III.* BELA III. Filius Geyſæ II. Anno milles. centes. ſeptuages. quarto. Menſe Januario coronatur. Uxor prima Maria Emanuelis Conſtantinopolitani Imperatoris Filia. Altera Margaritha Philippi Francorum Regis Soror, antea Henrici junioris Regis Angliæ Uxor. Nuptiæ Anno 1186. Ex *Annalibus Anglicis Rogerij de Hoveden.* Ex primo Conjugio Liberi: Emericus, Andreas, Bela, & Filia Conſtantia, Anno 1189. Friderico, Friderici Imperatoris Filio deſponſata, teſte *Arnoldo Abbate Lubecenſi.* Sed eo in expeditione ſacra

era mortuo, tradita est Premislao Regi Bohemiæ. Habuit præterea Bela Filium quendam (nisi fuerit supra nominatus Bela) cujus meminit Innocentius III. Lib. 1. epist. 5. Migrat è vita Rex Anno milles. centes. nonages. sexto, & Albæ tumulatur.

Regnum, quod latronibus plenum acceperat, intentissimâ curâ perpurgat. Haliciam, sive Galliciam per Filium Andream Ungariæ addit. Bellat etiam cum Venetis, sed successu perexiguo.

XVII. *Emericus.* EMERICUS sive HENRICUS vivo Patre coronatur. Conjux Constantia Alphonsi II. Regis Aragoniæ Filia; deinde Friderico Siciliæ Regi, ac Imperatori nupta Anno milles. ducentes. nono. Ita *Rodericus, Archiep. Toletanus*, Scriptor coævus, *Mariana*, & *Raynaldus*. Filius Ladislaus. Moritur Emericus Anno milles. ducentes. quarto, & Agriæ reconditur.

Magnificè pluribus de gentibus, belli Imperatore Andrea Fratre, triumphat. Ipse Bulgaros domat. Insidiantem Regno Andream memoratum, coronâ ornatus & trabeâ, sola majestate exarmat.

XVIII. *Ladislaus III.* LADISLAUS III. Filius Emerici, vivente Patre inauguratur. Sub dura Andreæ Patrui tutela exiguo tempore regnat. Constantia Regina jugum Affinis pertæsa, cum corona & thesauris, ac nonnullis Procerum Viennam abit; ubi Ladislaus Anno milles. ducentes. quinto fatis concedit. Ut habet *Chronicon Admontense*, *Australe*, cum quibusdam alijs. tum Albæ sepelitur.

XIX. *Andreas II.* ANDREAS II. Belæ III Filius, à morte Emerici continuò se pro Rege fert, mortuóque Ladislao coronatur. Uxor prima Gertrudis, Bertholdi Meraniæ, hoc est Tyrolis, Carinthiæ, & Istriæ Ducis Filia; alij Bertholdum Ducem Dalmatiæ scribunt. Liberi: Bela, qui deinde Patri succedit; Colomanus Rex Halitiæ, & Sclavoniæ Dux, in Conjugio cum Salomea Lesci Sandomiriæ Ducis Filia Virgo, moritur Anno milles. ducentes. quadrages. secundo. Tum S. Elisa-

beth Ludovico VI. Landgravio Thuringiæ nupta, elata Anno milles. ducentes. triges. primo 19. Novembris. quadriennio pòst, infinitis clara miraculis, catalogo Sanctorum inserta. Denique Andreas, qui spe Regni cadens Venetias transit, ductáque prædivite Uxore, Marcum accipit Filium, fundatorem splendidæ apud Gallos Croyorum Familiæ. Interfecta est Gertrudis à Bancbano Anno milles. ducentes. decimo tertio, testimonio diplomatis ipsius Andreæ, & plurium Chronologorum, quidquid demum dicant alij. Cùm Regina cæderetur, vix à Pedagogo servatus est Bela. Altera Uxor Andreæ Regis fuit Jole, Petri Constantinopolitani Imperatoris Filia; ex hac sustulit Jolen, sive Hioelesiam Jacobo Aragonum Regi nuptam, Aviam D. Elisabethæ Dionysij Lusitaniæ Regis Conjugis. Jole namque Jacobo tulit Petrum, de Petro nata S. Elisabetha. Tertia denique fuit Beatrix Aldobrandini II. Marchionis Estensis Filia, quæ mortuo Rege, Privignum verita, fugit in Germaniam, ibíque Stephanum Posthumum peperit; qui cùm gratiam Belæ Fratris necquidquam imploraret, Venetijs consedit ducta Thomasina Maurocena, ex qua Andreas, futurus aliquando Rex Ungariæ. Decedit Andreas Rex ætate jam provecta Anno milles. ducentes. triges. quinto, tumulatúrque in Monasterio Egresiensi. malunt alij Varadini ad pedes S. Ladislai.

Præfervidæ Rex naturæ multa domi, forísque pro DEO ac Patria agit. Transmittit in Asiam, persequitur Saracenos, multa in libertatem vindicat loca, Serviam Ungariæ asserit. Multis nobilitatem privilegijs & ornamentis auget; hinc illi Magnum charúmque nomen Andreæ Hierosolymitani. Celebris à justitia est, quam ad sidera tollit Justus Lipsius.

XX. Bela IV. BELA IV. vix natus Anno milles. ducentes. sexto, jussu Innocentij III. apud *Raynaldum*, ad Annum modò memoratum, Rex salutatur, & creatur. Post obitum Patris Andreæ consuetis cærimonijs confirmatur.

matur. quippe gemina erat Regum Ungariæ inauguratio; altera in infantia aut pueritia, cùm Imperium adibant altera. qua de re extat Epiſtola prolixa Innocentij III. lib. 2. Regiſt. 14. Epiſt. 156. editionis Toloſānæ Anni 1635. Conjux Belæ Regis fuit Maria, Laſcaris Græcorum Imperatoris Filia. Liberi: Stephanus, Bela; Catharina & Margaritha mortuæ Cliſſæ in Dalmatia tempore incurſionis Tartarorum. Deinde S. Cunegundis, ſive Kinga, Conjux virgo, Boleslai Pudici Poloniæ Ducis, & Regis; quæ poſt Maritum Anno milles. ducentes. ſeptuages. quarto piè mortuum, obijt ſanctiſſimè in Cœnobio Sandecenſi Anno milles. ducentes. nonages. ſecundo, XXIV. Julij. Poſt hanc Eliſabeth, nupta Henrico Filio Ottonis Ducis Bavariæ Anno milles. ducentes. quadrages. quinto. Magnæ Sanctitatis mulier, & incomparabilis ætate ſua virtutis. mortua in Bavaria Anno milles. ducentes. ſeptuages primo. XXIV. Octobris. Tum Anna, locata Ratislao (quem Hiſtorici Ladislaum, & Roſislaum ſcribunt) Duci Haliciæ, ùt declarat ipſe Bela in diplomate Anni milles. ducentes. ſexages. quarti. Scriptores præterea Ratislaum Ducem Maſſoviæ indigitant, ſed rectiùs Machoviæ, vel, ut in Chronico Auſtrali ad Annum 1272 inter Scriptores Germaniæ pag. 325. habetur, Matschoviæ; quæ Provincia eſt Serviæ ad amnem Savum, & Belgradum ſita, quámque nomine dotis à Bela Rege acceperat, pulſus Haliciâ à Daniele Ruthenorum Principe. Conſtantia item ejusdem Belæ Regis Filia, teſte Joanne Longino, ac poſt eum Bollando in vita B. Cunegundis; ſcribitur nupta Leoni Ruſſiæ Duci; Bzovius vult Danieli Ruſſiæ Duci, vel potiùs Regi: at hic hoſtis erat Belæ, & Ratislai Ducis, nec eum Rex Generum vocat in nominato diplomate. Jolenta præterea, data Boleslao Pio, majoris Poloniæ Duci; quam Cromerus etiam Helenam fuiſſe appellatam ait. Ejusdem Regis Filia eſt & Sancta illa Margaritha, quæ Inſulam lepo-

rum vitâ, ac prodigijs illuſtravit, vixítque Sanctimonialis Ordinis Dominicani, quod plura Belæ diplomata teſtantur; ex quibus etiam colligitur, adhuc unam Regi illi fuiſſe Filiam, quæ fuit Uxor Moys Palatini Ungariæ, probabiliùs Sabina fuerit, Cibinienſis in Provincia Saároſienſi Urbis Regiæ fundatrix. tot inter Filias Belæ, nîl mirum, ſi quæpiam perturbatio irrepſerit. Moritur Rex Bela Anno milles. ducentes. ſeptuageſimo, XII. Julij, & Strigonij apud FF. Minores terræ creditur.

Si cui alteri Regum, Belæ certè IV. ſtatuam erigat Ungaria, & illam auream, perenne grati animi monumentum. Perierat, ſi Regem amiſiſſet Belam. Evaſtat illam ipſo triennio Tartarus, ínque ſolitudinem redigit. Reparat Bela, & novam de integro condit Ungariam. Suum in locum ſacra reponit, & profana; de utrisque longè pulcherrimè meritus Rex. quin & Chriſtianorum haud ſatis Chriſtiana depulit Regno arma. Auxit etiam populo & Provinciâ Cumanorum. Vivit, ac moritur ſecundus undique Ungariæ fundator. Rex integerrimus juxtà ac æquiſſimus; Pater, Frater, Avus, ac Patruus plurium ſanctarũ mulierum.

XXI. *Stephanus V.* STEPHANUS V. Filius Belæ IV. puer coronatur, dicitúrque Rex junior, ac Dux Tranſſilvaniæ, agente in vivis Patre. Uxor Anna (ſignata litterâ A. in publicis litteris Originalibus Ladislai Regis Anni M. CC. LXXXVII. quo adhuc vixit) gente fuit Cumana, ùt colligitur apud *Raynaldum* ex litteris Epiſcopi Olomucenſis coævi. Liberi: Ladislaus, Andreas, , & Eliſabeth, in Inſula leporum ad Budam Sanctimonialis. ùt docent inſtrumenta Cœnobij ejusdem Inſulæ. & Maria, Caroli II. Claudi Siciliæ Regis Uxor, Mater S. Ludovici Toloſani Epiſc. &c. De pluribus non conſtat. Nec obſtare poterit: quòd Stephanus Rex in inſtrumento pacis Anni 1271. cum Ottocaro Bohemorum Rege initæ, Leonem Ruſſum Generum vocet; id enim latè dici potuit locò Progeneri

Mari-

Mariti neptis ex Sorore Conſtantia. Excedit humanis Anno milles. ducentes. ſeptuages. ſecundo, ad diem 1. Auguſti, ínque Inſula Budenſi, ſive leporum reponitur. Rex magnanimus, Bulgariæ debellator, & victor Ottocari magnus, oſtendit modò, quid egiſſet; ſi vitam Cœlum indulſiſſet.

XXII. *Ladislaus IV.*

LADISLAUS IV. Patre Stephano V. immaturo ac ſubitaneo fato erepto, ſuccedit Anno eodem, & coronatur. Uxor Eliſabetha, in litteris Regijs notâ E. ſignificata, Caroli I. Siciliæ Regis Filia. Liberi nulli. Occiditur in pugna à Cumanis Anno milles. ducentes. nonageſimo, & Chanadini terræ infoditur.

Optimi Avi, malè diſcinctus nepos, evertit propemodum ſua per ſcelera imperium, quod tanto Majores conſtabat ſudore. Profligat Bohemum, & Cæſarem præſens tuetur; ſed à ſua ipſe in triumphum ducitur libidine: unde & Regnum Civilibus juxtà, ac externis dilaniandum præbet armis.

XXIII. *Andreas III.*

ANDREAS III. nepos Andreæ II. per Beatricem Eſtenſem, Filius Stephani Poſthumi ex Filia Guilielmi Traverſarij Civis Ravennatis, ùtì quidem teſtatur Monachus Paduani Author coævus; ſed ùt docet inſtrumentum publicum, in quodam Archivo repoſitum ad mentem Turoczij, ac plurium aliorum, Albertinus Maurocenus Venetus, fuit Avunculus Andreæ Regis, deſponderátque ei Alberti Goricienſis Comitis Filiam Claram Anno milles. ducentes. octuages. ſexto. quam, an reipſa duxerit Andreas, nuſquam apparet. Matrem ejus Catharinam fuiſſe declarant inſtrumenta Ungarica, ortam Familiâ Tomaſſina Maurocena, utì innuimus in Andrea II. Conjugem verò ejuſdem fuiſſe Fenennam, ſive Phenennam, certum eſt, liquétque ex diplomate Anni milles. ducentes. nonages. primi, quo Lodomerio Archi-Epiſcopo Strigonienſi donat Rosnaviam. erat autem Filia Ducis Gloggoviæ in Sileſia. de hac nata Andreæ Eliſabetha. Secunda, aut tertia Regis Uxor fuit Agnes,

Alberti I. Auſtriæ Ducis Filia. Nuptiæ, teſte Authore hiſtoriæ Auſtralis Anno milles. ducentes. nonages. quinto, ante vernum jejunium; Scriptor autem Chronici Auſtralis recentior in annum ſequentem eas transfert. Diſcordant ijdem in anno, quo Andreas Filiam Eliſabeth deſponſavit Wenceslao, Filio Wenceslai Regis Bohemiæ: Hiſtoricus enim id factum ſcribit Anno milles. ducentes. nonages. ſeptimo; Chronologus in ſequente. Interit ex veneno Andreas Anno milles. tercentes. primo, IV. Januarij, Budæque ſepelitur in æde S. Joannis Evangeliſtæ apud Minores. Agnes Regina moritur milles. tercentes. ſexages. quarto. Quam turbis colliſam à deceſſore accepit Ungariam, haud pacatiorem ſucceſſoribus relinquit. Ultimus Regum ex virili ſtirpe Geyſæ I. Ducis Chriſtiani.

XXIV. *Wenceslaus.* WENCESLAUS, Filius Wenceslai Regis Bohemiæ, Fratris B. Agnetis, Anno milles. tercentes. quinto, XXIII. Junij defuncti, & Gutæ, Filiæ Rudolphi Imperatoris; nepos Ottocari & Cunegundis, Filiæ Annæ Ducis Matſchoviæ, de qua in Bela IV. Coronatur Anno milles. tercentes. primo. Uxor (rejectâ ſponsâ Andreæ III. Regis Filiâ) Viola Ducis Teſchinenſis Filia, Anno milles. tercentes. quinto. Occiditur Wenceslaus ſequenti, Olomucij XXVII. Auguſti. nam, ùt adverterunt Albitius & Reusner Anno milles. tercentes. ſeptimo, Bohemorum Rex fuit Rudolphus ſenior, mortuus III. Julij; deinde Rudolphus junior, qui exceſſit Anno milles. tercentes. octavo. XXVIII. Junij.

XXV. *Otto Bavarus.* OTTO Bavarus, Belæ IV. ex Filia Eliſabeth abnepos; coronatur Anno milles. tercentes. quinto. In carcerem mittitur à Ladislao, Vajvoda Tranſſilvaniæ anno ſequenti. Tum fugâ elabitur, & in itinere ducit Filiam Conradi Gloggoviæ Ducis. Moritur, teſte Aventino, Anno milles. tercentes. duodecimo. Hic, utì & Wenceslaus per ſeditionem, à partium ſtudioſis electi; viderunt duntaxat Ungariam, poſſeſſionem

ejus

ejus pleno jure nunquam inierunt. Nec mortui, nec ſepulti in Regno.

XXVI. *Carolus I.*

CAROLUS I. (in diplomatibus Karulus) Filius Caroli Martelli Siciliæ Regis, & Clementiæ, Filiæ Rudolphi Imperatoris; nepos Mariæ, Stephani V. Filiæ. Anno milles. tercenteſimo defertur in Ungariam; nec multò poſt obitum (quod jam certius eſt) Andreæ III. coronatur; à plerisque tamen pro Rege non habetur. Recipitur tandem ab omnibus Proceribus, excepto Matthæo Palatino, & Ladislao Vajvoda Tranſſilvano. Verùm reconciliato demum Vajvoda, receptáque ſacrâ coronâ, iterum inauguratur milles. tercentes decimo. Uxor prima Catharina, quam duxit milles. tercentes. octavo. Obit Anno milles. tercentes. decimo tertio, ùt docent quædam litteræ Carolinæ. Maria, quam Hiſtorici primam ſcripſerunt, fuit Filia Caſimiri Regis Poloniæ, mortua Anno milles. tercentes. decimo quinto. Tertia Beatrix, Filia Henrici VII. Luzemburgici. Quarta Eliſabeth, Filia Wladislai Loctici Poloniæ Regis. nuptiæ Anno. milles. tercentes. vigeſimo. Liberi diutius ſuperſtites: Ludovicus, Andreas, & Stephanus. Andreas reſtricto admodũ regimine Rex Siciliæ, Uxorem habuit Joannam (penes quam ferè imperium erat) neptem Roberti Siciliæ Regis. amiſit vitam laqueo Averſæ Anno. milles. tercentes. quadrages. quinto, Conjugis iniquitate. Filius ejus Poſthumus Carolus prima in ætate obit in Ungaria. Stephanus, quoad vixit, titulo Ducis Tranſſilvani gaudebat, ùt clarum eſt ex litteris Pontificijs, aliísque. Teſte Joanne Summontio Filiam habuit Eliſabeth, quæ nupſit Philippo juniori Principi Tarentino, Pronepoti Mariæ Ungaricæ, & Caroli II. Siciliæ Regis. Carolus I. Rex Ungariæ diem obit ſuum Anno milles. tercentes. quadrages. ſecundo. xvi. Julij, ínque Albenſi Regum Mau-

ſoleo reconditur. Eliſabetha Conjux moritur Anno milles. tercentes. ſeptuages. nono.

Carolus I. celebriores inter Ungariæ Reges jure cenſendus, multas diſciſſum in partes Imperium ſecundiſſima componit pace. Hoſtium alios armis ſubigit, clementiâ vincit alios. Avulſa Regni membra ſuo reddit corpori. Ampliat dominationem, & decem in Regna protendit. Urbes extruit magnificas, & latiſſimè cultum promovet divinum: de Superis perinde bene meritus, atque de hominibus.

XXVII. *Ludovicus I.* LUDOVICUS I. à morte Caroli Parentis coronâ incingitur. Uxor Eliſabeth, Stephani Bani, poſtea Regis Boſniæ, Filia. Ex hac naſcuntur Maria, & Hedwigis. Hæc in Poloniam ad capeſſendum Regnum profecta, Anno. milles. tercentes. octuag. quarto. jungitur Jagelloni Duci Litvaniæ, electo Poloniarum Regi, poſt biennium. Moritur ſanctiſſimè Anno milles. tercentes. nonages. nono. Ludovicus Pater fatis concedit Anno milles. tercentes. octuages. ſecundo, die Septembris XII. tumulatúrque Albæ in Sacello, quod vivens ipſe extruxerat.

Non minor Parente Filius, ſarta tectáque conſervat, quæ à Carolo acceperat. immo auget Imperium adjectâ Poloniâ. Tuetur etiam Eccleſiam, & caput ejus, Romanum Pontificem adversùs tyrannos; inde titulo Signiferi Eccleſiæ honeſtatur. Infert Ungariæ litteras, & publicum earundem pandit emporium; glorioſiſſimus Regum omnium.

XXVIII. *Maria.* MARIA, quam Ungari Regem appellârunt, poſt obitum Patris coronatur. Regnat cum Matre annis duobus. Nubit Sigismundo, Caroli IV. Imperatoris Filio, Anno. milles. tercentes. octuages. quarto. Extinguitur Anno milles. tercentes. nonages. ſecundo. amiſsâ jam antè Matre Eliſabetha, à Joanne Horvatho, ſive Hericarth Anno milles. tercentes. octuages. ſexto, per indigniſſimam cædem ſublata. Hæc reponitur Jadræ in Dalmatia, Maria autem Varadini.

CA-

CAROLUS II. Ungaris dictus Parvus, pronepos Mariæ Ungaricæ Reginæ Siciliæ; nempe per Joannem Avum ſuum, & Patrem Ludovicum Dyrrachium; cujus Conjux Margaritha, fuit abneptis ejusdem Mariæ per Proavum Joannem, Avum Ludovicum Dyrrachium modò nominatum; & Patrem Carolum; Averſæ, juſſu Ludovici Regis Ungariæ, Fratris Andreæ necem ulciſcentis, interfectum Anno milles. tercentes. quadrages. octavo. Hæc ex probatiſſimis Scriptoribus, contra Bonfinium & Turoczium, putantes Carolum hunc, fuiſſe de Andrea Ludovici Fratre germano natum. Joanna quoque Andreæ hujus Uxor, fuit proneptis Mariæ Ungaricæ Reginæ Siciliæ, per Avum ſuum Robertum Regem Siciliæ, tertium ejusdem Mariæ Filium, & per ſuum Patrem Carolum Ducem Cantabriæ. Ceterùm Carolus Parvus venit in Ungariam Anno milles. tercentes. octuages. quinto, coronatúrque Menſe Decembri, factione quorundam privatorum. Mox ſequenti, menſe Februario occiditur. ùt habet *Raynaldus*. Alij hæc præcedenti anno contigiſſe volunt. Fuit ob invaſum Regnum à ſummo Pontifice Urbano VI. anathemate ictus; idcirco & ſepulturâ Eccleſiaſticâ caruit, teſte S. Antonino apud Raynaldum. Filius ejus Ladislaus, fuit etiam electus Rex Ungariæ Anno milles. quadringentes. ſecundo. à nonnullis perturbatoribus Ungaris, Dalmatis, & Croatis. XXIX. *Carolus II.*

SIGISMUNDUS Imp. Caroli IV. Imp. Filius, Marchio Brandeburgicus, coronatur Anno milles. tercentes. octuages. ſeptimo. Extinctâ Mariâ Ungarâ, ducit Barbaram, Hermanni Ciliæ & Zagoriæ Comitis Filiam, feminam tanto connubio omnino undique indigniſſimam. ex qua Filia Eliſabetha Parente melior ſua. Migrat è vita Sigismundus Anno milles. quadringentes. triges. ſeptimo. IX. Decembris Znoimæ in Moravia, ac Varadinenſi in Eccleſia tumulatur. XXX. *Sigismundus*

Longi ævi, ſed ferè infelicis Sigismundus, per bella, bellorúmque calamitates ultimas, vitam traducit, & Regnum. Cæditur à Turca, à Bohemis popularibus vim patitur, ab Ungaris carcere detinetur; meliori ſorte digniſſimus Princeps, pacis utpote Eccleſiæ ſtudioſiſſimus, & virtutibus ſummis ornatiſſimus.

XXXI. *Albertus.* ALBERTUS Imp. Auſtriæ Dux, Gener Sigismundi per Filiam Eliſabetham coronatur Anno milles. quadringentes. triges. octavo. I. Januarij. Uxor Eliſabeth Sigismundi Filia. Nuptiæ Anno milles. quadringentes. vigeſimo primo. Liberi: Eliſabetha, nupta Caſimiro Poloniæ Regi; ex qua Wladislaus, futurus Ungariæ Rex poſt Mathiam. Gregorius in adoleſcentia defunctus Anno milles. quadringentes. triges. quinto. & Ladislaus Poſthumus. Interit è ſanguineo ventris profluvio Anno milles. quadringentes. triges. nono, XXVII. Octobris in pago Neſzmél, Strigonium inter & Comaromium ſito; quanquam Scriptores exteri extinctum notent in Inſula Schûtt, ſive Cſalókőz ad pagum Megyer XXVIII. Octobris, & in ſepulchrum Albenſe illatum, ùt habet Bonfinius. Petrus de Reva, Viennæ ait tumulatum.

XXXII. *Wladislaus* WLADISLAUS Rex Poloniæ coronatur Albæ, non tamen ſacrâ illâ coronâ, Anno milles. quadringentes. quadrageſimo, XVII. Julij. Cæditur ad Varnam à Turcis Anno milles. quadringentes. quadrages. quarto. X. Novembris.

Paucis, quibus præſunt Ungariæ annis & Albertus, & Wladislaus, omnibus præſtantiſſimorum Regum juxtà ac militum funguntur officijs. Publicæ uterque vitam ſaluti immolat; uterque digniſſimus, quorum perennis apud Ungaros memoria vivat.

XXXIII. *Ladislaus V. Poſthumus.* LADISLAUS V. Poſthumus, Alberti Imp. & Regis Filius, natus Anno milles. quadringentes. quadrages. die XXII. Februarij Comaromij. Anno eodem, feſto Pentecoſtes coronatur, utì demonſtrat inſcriptio in Baſilica Caſſovienſi B. Eliſabethæ, facta à

Præ-

Prætore Urbis pupilli jura defendentis, confirmántque plures Authores. Mater Regina Eliſabeth, dum vivit, in parte Regni imperat. A cæde Wladislai gubernat Ungariam Joannes Hunniades ad Annum milles. quadringentes. quinquages. ſecundum, quo Ladislaus Poſthumus Regnum init. Sponſa deſignata Ladislai Regis fuit Magdalena Caroli VII. Francorum Regis Filia, quæ tamen ſponſum vidit nunquam: extinguitur enim Pragæ veneno, ùt aliqui exiſtimant, Anno milles. quadringentes. quinquages. ſeptimo. XXIII. vel XXVII. Novembris, ibíque recondítur.

MATHIAS Corvinus Patre Joanne Corvino de Hunyad, Vajvoda Tranſſilvaniæ, Ungariæ Gubernatore, Heroe incomparabili; Matre verò Eliſabetha Szilagyia naſcitur Anno milles. quadringentes. quadrages. tertio. XVI. Februarij. In carcerem compingitur à Ladislao Rege Anno milles. quadringentes. quinquages. ſeptimo. Sequenti in Regem Ungariæ acclamatur, móxque de tenebris antri in ſolium conſcendit; ſed non nisì Anno milles. quadringentes. ſexages. quarto, coronatur: quoniam diadema Fridericus retinebat, nec nisì Anno proximè ſuperiore illud Ungariæ reſtituit. Uxor prima Catharina Cunegundis, Georgij de Cunſtot, & Podiebrad Bohemiæ Gubernatoris, deinde Regis Filia. Sponſalia ex lege pactionis, à Mathia cum Georgio initæ, ùt habet Bohuslaus Balbinus, celebrata Anno milles. quadringentes. qu,nquages. octavo. Nuptiæ inſequenti. Obit Catharina Budæ milles. quadringentes. ſexages. quarto. Altera Conjux Beatrix Filia Ferdinandi Regis Neapolitani, nupta Corvino Anno milles. quadringentes. ſeptuages. ſexto. Moritur Mathias Viennæ Anno milles. quadringentes. nonageſimo, v. Aprilis; tum Albæ-Regalis in Mauſoleo magnificentiſſimè ſepelitur. Dum viduum agit, ex incognito thalamo ſuſcipit Joannem, Banum ſubinde Illyrici, virum XXXIV. *Mathias Corvinus.*

bellis, ſed religione in primis clariſſimum. Obit hic Anno milles. quingentes. quarto, XII. Octobris. Filius autem ejus Chriſtophorus, Mathiæ nepos, anno ſequenti, XVII. Martij. Uterque ſepelitur Lepoglavæ in Sclavonia, ùt patet ex epitaphijs.

Corvinus Magni Parentis non degener Filius, Orbis univerſi ſuffragio, Regum maximus, & celeberrimus, Ungariam gubernat; & potentiſſimos contra adverſarios tuetur. Vel famâ nominis Turcam in fugam agit. Novis Regnum auget Provincijs, inſtruit præſidijs, ornat ædificijs, excolit ſtudijs, implet litteratis. Pugnat pro fide Catholica adversùs Georgium transfugam Regem Bohemum, & plures Romana in fide conſervat Regiones. Vivit, & moritur fortiſſimus, ſapientiſſimus, & religioſiſſimus Rex; dictus: Martis pullus, litterarũ Pater, Romanæ pupilla Eccleſiæ.

XXXV. *Wladislaus II.*

WLADISLAUS II. Rex antè Bohemiæ, Filius Caſimiri Regis Poloniæ, ex Eliſabeth Auſtriaca, Anno, quo exceſſit Corvinus, eligitur, ritéque coronatur, XXI. Septembris. Uxorem, repudiata Beatrice Mathiæ Regis Viduâ, amores Wladislai prenſante, accipit Annam ex Gallia, teſte Spondano (qui rem magis expenderit) Caſtonis Fuxenſis, Candelæ Reguli Filiam. milles. quingentes. ſecundo. XXIX. Septembris. Liberi: Ludovicus, Anno milles. quingentes. ſexto natus. I. Julij. Anna antè edita milles. quingentes. tertio. Moritur Rex Anno milles. quingentes. decimo ſexto. VI. Martij, ùt plures, III. ùt habet Joannes Piſtorius. ínque monumenta Regum Albæ infertur.

Malè audit apud plerósque Hiſtoricorum Wladislaus: quòd animi ampliùs oblectamentis, quàm rei ſtuduerit publicæ; quòd Nobilitati ultra modum fræna laxaverit; quòd graviores fugerit curas, omnia per alios, per ſe egerit nihil; choro aptior Monaſtico, quàm Imperio tam vaſto. Quæ ut ut ſe habeant: nihil tamen de Ungaricis amittit terris, ſingulari pietate, clementiâ, amore ſubditorum, & civilitate regit ſuos, & protegit.

LU-

LUDOVICUS II. Filius Wladislai, coronatur in infantia Anno milles. quingentes octavo. Sponsa Maria, Maximiliani Imp. neptis, ex Filio Philippo I. Hispaniæ Rege, milles. quingentes. decimo quinto, eadémque Conjux milles. quingentes. viges. primo. Interit Ludovicus Rex in clade ad Mohacsium Anno milles. quingentes. viges. sexto. XXXI. Augusti, ætatis anno vicesimo, mense secundo. Maria Regina decedit Anno milles. quingentes. quinquages. octavo. Rex Albam defertur, ibíque sepelitur. XXXVI. *Ludovicus II.*

Spes maximæ cum Ludovico occumbunt. Vel adolescens exhibet, quantus pro Regno stetisset Vir, nisì intempestiva intercessissent fata.

JOANNES de Zapolya, Filius Stephani Ungariæ Pro-Regis ex Familia Deakiana, Vajvoda Transsilvaniæ eligitur Rex Anno milles. quingentes. viges. sexto, I. Novembris. Coronatur luce S. Martino sacra. Uxor, Isabella Sigismundi Regis Poloniæ, & Bonæ Sfortiæ Filia. Nuptiæ Anno milles. quingentes. triges. nono. Filius Stephanus in sacro lavacro dictus, deinde Joannes Sigismundus in Patris, & Avi memoriam appellatus. Obit Rex in Transsilvania Anno milles. quingentes. quadragesimo. Isabella circiter Annum milles. quingentes. quinquages. octavum. Filius Joannes Sigismundus Anno milles. quingentes. septuages. primo. Rex Albæ tumulatur. XXXVII. *Joannes de Zapolya.*

Privata quorundam factione Rex proclamatur. Felix armis, & magnus sub Wladislao Belli Imperator; dum coronam quærit, ac rerum satagit suarum, cæca regnandi libidine abreptus, latam Turcæ in Ungariæ Regiones pandit portam, & magnarum prologum ponit tragœdiarum.

FERDINANDUS I. Imp. nepos Maximiliani I. Filius Philippi Regis Hispaniarum, Frater Caroli V. nascitur Anno milles. quingentes. tertio. x. Martij Compluti, vel Medinæ. Eligitur Rex Ungariæ An- XXXVIII. *Ferdinandus I.*

no milles. quingentes. viges. ſexto. inſequenti coronatur Albæ v. Novembris cum Anna Regina, utì teſtantur decreta Regni. Conjux eadem Anna, Wladislai Regis Ungariæ Filia, Ludovici II. germana. Sponſalia Anno milles. quingentes. decimo quinto. Nuptiæ Anno milles. quingentes. viges. primo. Liberi: Eliſabeth, nata Lincij Anno milles. quingentes. viges ſexto. IX. Julij. Nupta Sigismundo Auguſto Poloniæ Regi. Obit Vilnæ in Litvania Anno milles. quingentes. quadrag. quinto. XV. Julij. Maximilianus, natus Viennæ Anno milles. quingentes. viges. ſeptimo. I. Auguſti. Anna, nata Lincij Anno milles. quingentes. viges. octavo. XIV. Junij. Elocata Anno milles. quingentes. quadrag. ſexto. IV. Julij, Alberto V. Duci Bavariæ. Ferdinandus, editus in lucem iterum Lincij Anno milles. quingentes. viges. nono XIV. Junij. Ducit primùm Philippam è Patritia Welſerorum Auguſtana Familia ortam, ex qua Andreas Cardinalis Auſtriæ, & Carolus Marchio in Burgau. Tum milles. quingentes. octuageſimo, menſe Aprili accipit Guilielmi Mantuæ Ducis natam, ſuam è Sorore Leonora neptem. Maria Pragæ natæ milles. quingentes. triges. primo. XV. Maji. Nubit Anno milles. quingentes. quadrages. ſexto. XVIII. Julij, Guilielmo Cliviæ, ac Juliæ Duci. Magdalena, nata Oeniponti Anno milles. quingentes. triges. ſecundo. XIV. Auguſti. Vixit in Cœnobio Halenſi. Catharina Viennæ nata Anno milles. quingentes. triges. tertio. XXV. Septembris, elocata primùm Friderico Mantuæ Duci. tum Sigismundo II. Poloniæ Regi. Mortua Lincij Anno milles. quingentes. ſeptuages. ſecundo. Leonora Viennæ nata Anno milles. quingentes. triges. quarto. II. Novembris, data Guilielmo Mantuæ Duci Anno milles. quingentes. ſexages. primo. Margaritha, nata Oeniponti Anno milles. quingentes. triges. ſexto. XVI. Februarij. Obit innupta Halæ Anno milles. quingentes. ſexages. ſeptimo. XII. Martij. Barbara

bara Viennæ nata Anno milles. quingentes. triges. nono. xxx. Aprilis. Nupta Alphonſo II. Ferariæ Duci, extincta menſe Septembri, Anno milles. quingentes. ſeptuages. ſecundo. Carolus Viennæ natus Anno milles. quingentes. quadrageſimo. III. Junij, duxit Mariam Filiam Alberti Bavariæ Ducis, è Sorore Anna neptem, ex qua quindecim ſuſtulit liberos. Helena Viennæ nata Anno milles. quingentes. quadrages. tertio. VII. Januarij. Deceſſit Halæ Virgo. Anno mill. quingentes. ſeptuages. quarto, menſe Martio. Joanna Pragæ nata Anno milles. quingentes. quadrages. ſeptimo. XXIV. Januarij, juncta Franciſco Medicæo Florentiæ Duci. mortua Anno milles. quingentes. ſeptuages. octavo. Joannes natus Anno milles. quingentes. triges. octavo, x. Aprilis, denatus ſequenti. Urſula nata Anno milles. quingentes. quadrag. primo. XXIV. Julij. biennio pòſt exſpiravit. Deſinit vivere Anna Imperatrix, feliciſſima quindecim prolium Mater, Pragæ Anno milles. quingentes. quadrages. ſeptimo, XXVII. Januarij. Ferdinandus Cæſar ſequitur Anno milles. quingentes. ſexages. quarto. XXV. Julij Viennæ, & Auguſtæ Conjugi, in conditorio Regum Pragenſi apponitur.

In calamitoſiſſima Chriſtianæ Reipublicæ tempora Regnum incidit Ferdinandi. Agit nihilominus, quidquid aut religio in Germania, aut communis boni ratio exigit in Ungaria; explétque partes & Catholici, & ſtudioſi Patriæ Principis.

MAXIMILIANUS hujus nominis II. Imp. Filius Ferdinandi I. Uxor Haria, Caroli V. Cæſaris filia. Coronatur primus Poſonij in Regem Ungariæ Anno milles. quingentes. ſexages. tertio. VIII. Septembris, agente in vivis Patre. Maria Conjux, in Reginam ungitur altero die. Liberi: Anna, nata Zigallæ in Hiſpania Anno milles. quingentes. quadrages. nono. I. Novembris, fuitq; quarta Uxor Philippi II. Hiſpaniarum Regis, & obijt Anno milles. XXXIX. *Maximilianus.*

quingentes. octuageſimo. xxvi. Octobris. Ferdinandus natus Anno milles. quingentes. quinquages. primo. xxiv. Martij. obit ſequenti, xxvi. Januarij. Rudolphus, natus Viennæ Anno milles. quingentes. quinquages. ſecundo. xviii. Julij. Erneſtus, natus iterum Viennæ Anno milles. quingentes. quinquages. tertio. xv. Junij, Belgij Gubernator. moritur Anno milles. quingentes. nonages. quinto, menſe Februario. Eliſabeth nata Viennæ milles. quingentes. quinquages. quarto. v. Julij. nupta Carolo ix. Franciæ Regi; deinde Inſtitutum tertij ordinis S. Franciſci amplexa, excedit Viennæ, Anno milles. quingentes. nonages. ſecundo. Maria nata milles. quingentes. quinquages. quinto. xxvii. Julij. exſpirat ſequenti. xxv. Julij. Mathias natus Viennæ, Anno milles. quingentes. quinquages. ſeptimo. xxiii. Februarij. Maximilianus natus Neoſtadij, Anno milles. quingentes. quinquages. octavo. xii. Octobris. Adminiſtrator ordinis Pruſſiæ, & Teutoniæ. vitam finit Viennæ Anno milles. ſexcentes. decimo octavo. ii. Novembris, ſepelitúrq; in Monaſterio Stambs, à ſe, in Comitatu Tyrolis erecto. Albertus natus Neoſtadij, Anno milles. quingentes. ſexageſimo. xiii. Novembris. Cardinalis Auſtriæ, Archi-Epiſcopus Toletanus; Pro-Rex Luſitaniæ, & Belgarum Gubernator. decedit Anno milles. ſexcentes. viges. primo. xiii. Julij. Wenceslaus, natus Neoſtadij, Anno milles. quingentes. ſexages. primo. ix. Martij. obit innuptus Madriti in Hiſpania An. milles. quingentes. ſeptuag. octavo. menſe Sept. Fridericus natus Anno milles. quingentes. ſexages. ſecundo. xxi. Januarij. excedit inſequenti. xvii. Septembris. Maria nata Anno milles. quingentes. ſexages. quarto. xix. Februarij. mox, xxvi. Martij denata. Carolus natus Anno milles. quingentes. ſexages. quinto. xxvii. Septembris. obit altero, iii. Maij. Margaritha, nata Viennæ Anno milles. quingentes. ſexages. ſeptimo. xxiv. vel

xxv.

xxv. Januarij. S. Claræ regulam ſecuta Montferrati, fato functa An. milles. ſexcentes. triges. tertio. v. Julij. Leonora nata Viennæ Anno milles. quingentes. ſexages. octavo. iv. Novembris. denata Virgo Pragæ Anno milles. quingentes. ſeptuages. nono. Maximilianus Imp. migrat è vita Ratisbonæ, ſub Comitijs Imperij Anno milles. quingentes. ſeptuages. ſexto. xii. Octobris. Maria autem Imperatrix Anno milles. ſexcentes. tertio. xxiv. Februarij Montferrati.

Quô Ungariam in libertatem vindicaret, ipſe in arenam deſcendit magnanimus Cæſar; & vel præſentiâ in fugam hoſtem agit, Jaurini ſervator & Comaromij. Multa adhæc affligit Turcas ſtrage; verùm non omnino peſtem illam propulſat totam. Gloriam vindicatæ Ungariæ ſervat Deus Carolo vi.

XL. *Rudolphus*

RUDOLPHUS id nominis II. Imp. Maximiliani, de quo modò, Filius. Coronatur Poſonij Anno mill. quingentes. ſeptuages. ſecundo. xxiv. Septembris. Mathiæ Fratri juniori cedit Ungariam cum corona Anno milles. ſexcentes. octavo. xxvii. Junij Pragæ. Excedit cœlebs ibidem, Anno milles. ſexcentes. duodecimo. xx. Januarij. Pacis amantior, quàm belli, vitam ferè inter libros exigit, & procul tubarum clangore, cæleſtium conſiderationi ſiderum magnus mathematicus ſemet impendit.

XLI. *Mathias II.*

MATHIAS II. Ungariæ Rex, & Imp. Maximiliani Filius, Rudolphi germanus, coronatur Poſonij Anno milles. ſexcentes. octavo, xix. Novembris. Conjux Anna, Ferdinandi Archi-Ducis, & Annæ Mariæ Ducis Mantuæ Filia, coronata Poſonii Anno milles. ſexcentes. decimo tertio. xxv. Martij. Liberi nulli. Defungitur Imperatrix Anno milles. ſexcentes. decimo octavo, xiv. Novembris. altero autem Mathias ipſe, xx. Februarii Viennæ in animi deliquio circa quintam matutinam. ut notat quidam Ungarus in accurato diario. verùm Auſtriaci ſcriptores mortem ejus in Martium protrahunt. Fortis, & mitis Cæſar: ut virtu-

te hostes terret, ita popularitate civium emit amores. Budensis oppugnatio declarat, quis fuisset, si diutius vivere licuisset.

XLII. *Ferdinandus II.*

FERDINANDUS II. Caroli Archi-Ducis, & Mariæ Filiæ Alberti Bavariæ Ducis Filius, Ferdinandi I. & Annæ Ungaricæ nepos, natus Anno milles. quingentes. septuages. octavo. IX. Julij Græcij. Coronatur Posonij Anno milles. sexcentes. decimo octavo. die I. Julij. Conjux prima Maria Anna, Guilielmi V. Ducis Bavariæ; & Renatæ Lotharingicæ Filia. nuptiæ Anno milles. sexcentesimo, XXIII. Aprilis. Liberi: Christina, nata milles. sexcentes. quarto. XXV. Maij. obit in infantia. Joannes Carolus, natus Anno miles. sexcentes. quinto. I. Novembris. moritur milles. sexcentes. decimo septimo. XXVI. Decembris. Ferdinandus Ernestus, in lucem editus milles. sexcentes. octavo, XIII Julij. Maria Anna genita Anno milles. sexcentes. decimo, XIII. Januarij. nupta Maximiliano Bavariæ Duci. defuncta milles. sexcentes. sexages. octavo, XXVIII. Septembris. Cæcilia Renata Anno milles. sexcentes. undecimo XV. Julij nata, juncta Wladislao IV. Poloniæ Regi milles. sexcentes. triges. septimo. Sublata è vivis milles. sexcentes. quadrages. quarto, XIII. Martij. Leopoldus Wilhelmus, natus Anno milles. sexcentes. decimo quarto, VI. Januarij. humanis eripitur Anno milles. sexcentes. sexages. secundo, XX. Novembris. Altera Uxor, Eleonora, Vincentij Ducis Mantuæ Filia. Nuptiæ Oeniponti Anno milles. sexcentes. viges. secundo, quo etiam in Reginam Ungariæ Sopronij inungitur. Obit sanctissimè Ferdinandus Viennæ Anno milles. sexcentes. triges. septimo, XV. Februarij. alijs XIV. & Mausoleo Græcensi infertur.

Conjuratum in se Orbem terrarum, impavidus excipit Ferdinandus, & unus in triumphum ducit omnes. Stat immotus, motis omnibus Provincijs, & hæretico vix non in ruinam abeuntibus turbine. Dice-

ceres: ſuperiorem terris omnibus eſſe; adeo nihil in eum poteſt terrena contagio. Illud ſanè in miraculis Ferdinandi eſt: in Eccleſiam, Religioſorum domos, Juvenum Seminaria immenſam pecuniæ vim profudiſſe; nec tamen tot, támque in longum protractis bellis ſumptus defuiſſe.

XLIII. *Ferdinandus III.*

FERDINANDUS III. Imp. incingitur Sopronij Rex Ungariæ Anno milles. ſexcentes. viges. quinto, VIII. Decembris, præſente Patre. Conjux Maria Hiſpana. Nuptiæ Anno milles. ſexcentes. trig. primo. Liberi: Ferdinandus Franciſcus, natus Anno milles. ſexcentes. triges. tertio. VIII. Septembris. Maria Anna, nata milles. ſexcentes. triges. quarto. XXIV. Decembris. elocata Philippo IV. Hiſpaniæ Regi. defuncta milles. ſexcentes. nonages. ſexto, XVI. Martij. Philippus Auguſtinus prodit in lucē Anno milles. ſexcentes. triges. ſeptimo. XV. Julij. Maximilianus Thomas, natus milles. ſexcentes. triges. octavo. XX. Decembris. ſequenti cum Fratre Philippo mortuus. Leopoldus Ignatius, editus Anno milles. ſexcentes. quadrag. IX. Junij. Maria nata Anno milles. ſexcentes. quadrages. ſexto. III. Maji. mox poſt baptiſmum extincta; quam & mater eodem Anno ſequitur. Uxor ſecunda, Maria Leopoldina, Leopoldi Archi-Ducis, Comitis Tyrolis, & Claudiæ Medicææ Filia. De hac genitus Carolus Joſephus, ſive ùt alij, Ferdinandus Carolus Joſephus, Anno milles. ſexcentes. quadrages. nono, VII. Auguſti. Obit Maria altero poſt Filium genitum anno. Uxor tertia Eleonora, Caroli II. Mantuæ Ducis, & Mariæ Mantuanæ Filia, ducta Anno milles. ſexcentes. quinquages. primo. De hac nata Thereſia Maria milles. ſexcentes. quinquages. ſecundo, XXVI. Martij. extincta ſequenti, XII. Maji. Deinde Eleonora Maria Anno milles. ſexcentes. quinquages. tertio. XXI. Maji. primùm Michaëlis Poloniæ Regis, tum Caroli V. Lotharingiæ Ducis Uxor, mortua milles. ſexcentes. nonages. ſeptimo, VII. Decemb. Præterea Maria An-

na Anno milles. sexcentes. quinquages. quarto. xx. Decembris. Wilhelmo, Duci Neoburgico nuptui tradita, fatóque functa milles. sexcentes. octuages. nono. xiv. Aprilis. Denique Ferdinandus, Aloysius Josephus, milles. sexcentes. quinquages. septimo. i. Februarij. anno altero ereptus. Desinit vivere Ferdinandus Anno milles. sexcentes. quinquages. septimo. ii. Aprilis. Eleonora autem Imperatrix milles. sexcentes. octuages. septimo, mense Februario.

Suecicis exercitam armis adolescentiam infert Ungariæ, quam & pro virili sua tuetur ab exteris; & à domesticis perpurgat calamitatum authoribus. Pacem ad hæc rebus multùm turbatis reddit; & post tot nubila, suum reducit Ungariæ sudum.

XLIV. *Ferdinandus IV.* FERDINANDUS IV. Posonij coronatur Anno milles. sexcentes. quadrag. septimo. xvi. Junji. Obit ex variolis, jam Rex etiam Romanorum. Anno milles. sexcentes. quinquages. quarto, ix. Julij.

XLV. *Leopoldus M.* LEOPOLDUS M. Imp. sumit diadema Posonii Anno milles. sexcentes. quinquages. quinto. xxvii. Junii. Conjux prima, Margaritha Theresia, Philippi iv. Hispaniarum Regis, & Mariæ Annæ Austriacæ filia. nuptiæ Anno milles. sexcentes. sexages. sexto. vi. Decembris Viennæ. Liberi ex hac: Ferdinandus Wenceslaus, natus Anno milles. sexcentes. sexages. septimo. xxvii. Septemb. sequenti extinctus xiii. Januar. Maria Antonia, genita anno milles. sexcentes sexages. nono. xviii. Januarii, data Maximiliano II. Duci & Electori Bavariæ. mortua milles. sexcentes. nonages. secundo. Joannes, natus, & denatus eodem die Anno milles. sexcentes. septuagesimo. Maria Anna, nata milles. sexcentes. septuages. secundo. ix. Februarii. Post dies quinque defuncta. quam & mater anno altero sequitur. Uxor secunda, Claudia Felicitas, Ferdinandi Caroli Archi-Ducis, Comitis Tyrolensis, & Annæ Florentinæ Filia. nuptiæ Græcii Anno milles. sexcentes. septuages. tertio. xv. Octobris. Liberi hujus: Anna Maria,

ria, Anno milles. sexcentes. septuages. quarto. xi. Septembris edita, & eodẽ elata anno. Maria Josepha, nata milles. sexcentes. septuages. quinto in Octobri. Sequenti anno tumulata, uti & ejusdem Mater. Tertia Conjux Eleonora Magdalena Theresia, Philippi Wilhelmi, Ducis Neoburgici, ac Electoris Palatini, & Elisabethæ Hassæ Filia. nuptiæ Passavii Anno milles. sexcentes. septuages. sexto. xiv. Decembris. Coronatio in Reginam Ungariæ Sopronii Anno milles. sexcentes. octuages. primo. ix. Decembris. Liberi: Josephus, editus in lucem milles. sexcentes. septuages. octavo. xxvi. Julii. Filiola, milles. sexcentes. septuages. nono. xviii. Junii nata, post baptismum, nondum impositio nomine extincta. Elisabetha, nata Lincii, Anno milles. sexcentes. octuagesimo. xiii. Decembris. hodie sapientissima Belgii Austriaci Gubernatrix. Leopoldus Josephus genitus Viennæ Anno milles. sexcentes. octuages. secundo. ii. Junii. defunctus post biennium, iii. Aprilis. Maria Anna nata Lincii milles. sexcentes. octuages. tertio. vii. Septembris. elocata Joanni V. Regi Lusitaniæ Anno milles. septingentes. octavo. Maria Theresia, nata milles. sexcentes. octuages. quarto. xii. Augusti. mortua milles. sexcentes. nonages. sexto. xxviii. Septembris. CAROLUS Franciscus, Augustissimus hodie Rex & Imperator, saluti publicæ in lucem datus Viennæ milles. sexcentes. octuages. quinto. i. Octobris. Maria Josepha, nata milles. sexcentes. octuages. septimo. vi. Martii. mortua milles. septingentes. tertio. iv. Aprilis. Maria Magdalena, nata milles. sexcentes. octuages. nono. xxvi. Martii. Maria Margaretha, edita milles. sexcentes. nonagesimo. xxii. Julii. defuncta sequenti, xxii. Aprilis. Transit in Cœlum Leopoldus M. Anno milles. septingentes. quinto. v. Maji. sequitur Eleonora Leopoldum, Virum Sanctissimum, mulier sanctissima Anno milles. septingentes. vigesimo. xix. Januarii.

Leopoldo Regi, ac Imperatori *Magni* nomen non as-

sentatio dat, sed veritas tribuit. Ultra septies ac quadragesies in hostem descendit; toties vincit & triumphat. Unum ferè, ac nonaginta præsidia hosti eripit, Ungariæ reddit. Budam, centum ipsos ac quadraginta quinque annos Asiatico sub jugo gementem, aliquando tandem in libertatem vindicat; & grande illud, quod in capite acceperat Regnum vulnus, pleniſſima sanitate curat. tuetur religionem, & ampliat, ereptáque barbaris loca, Deo sacrat. perduelles compescit fortiter; piè moderatur populos, ac suaviter. Rex ac Imperator Sanctus, fortis, felix, pacificus.

XLVI. *Josephus.* JOSEPHUS, coronatur Posonii Anno milles. sexcentes. octuages. septimo. IX. Decembris. Conjux Wilhelmina Amalia, Joannis Friderici Ducis Hannoverani, & Benedictæ Henriettæ Palatinæ Filia. Nuptiæ Anno milles. sexcentes. nonages. nono. XXIV. Februarii Viennæ. Liberi: Maria Josepha, nata Anno milles. sexcentes. nonages. nono. VIII. Decembris. nuptui data Friderico Augusto, Regio & Electorali Principi Saxoniæ milles. septingentes. decimo nono. XX. Augusti. Leopoldus Josephus, editus milles. septingentes. XXIX. Octobris. extinctus insequenti anno, IV. Aprilis. Maria Amalia nata milles. septingentes. primo. XXII. Octobris, desponsata Carolo Alberto, jam Electori Bavariæ milles. septingentes. viges. secundo. V. Octobris. Terminat vitam Josephus Anno milles. septingentes. undecimo. XVII. Aprilis, ínque Viennense, Augustissimæ Domûs Austriacæ Mausoleum reponitur, in quo & alii Cæsares & Reges ejusdem sangvinis ferè quiescunt. Turbulentam accepit Ungariam, pacâsset sua pro prudentia, si Cœlum vitam prolongâsset. Abit gloriâ plenus; & ex ipso felicitatis sinu, in gremium decidit terræ.

XLVII. *Carolus III.* CAROLUS III. hujus nominis Imp. VI. post adeptum Romanorum diadema, accipit Ungaricum Posonii Anno milles. septingentes. duodecimo. XXII. Maji. Conjux Aug. Elisabetha Christina, Ludovi-

ci

ci Rudolphi Ducis Brunſvico-Quelpherbitani in Blankenburg, & Chriſtinæ Aloyſiæ, Principis ab Oetingen Filia. Nuptiæ Anno milles. ſeptingentes. octavo. I. Auguſti Barcinonæ. Inauguratio in Reginã Ungariæ milles. ſeptingentes. decimo quarto XVIII. Octobr. Liberi: Leopoldus, natus Anno milles. ſeptingentes. decimo ſexto, XIII. Aprilis. ereptus IV. Novembris, anno eodem. Maria Thereſia, nata Anno milles. ſeptingentes. decimo ſeptimo. XIII. Maji. Maria Anna, edita milles. ſeptingentes. decimo octavo. XIV. Septembris. Maria Amalia, genita Anno milles. ſeptingentes. viges. quarto. V. Aprilis.

Poſt exantlatos, mille inter pericula, Hiſpanos labores, multis exercitam bellis virtutem Ungariæ infert Auguſtiſſimus CAROLUS; quam etiam publicæ immolat ſaluti. Depellit Tômôsvarino, ac Belgrado Turcam; & quod duo jam ultra ſecula necquidquam optabamus, totam ſibi reſtituit Ungariam, profligato omnibus ex partibus barbaro. Sua deinde juſtitiæ erigit tribunalia; néve lites ex litibus ſerantur, Arbiter æquiſſimus cavet. addit Conſilium Regium, quod propiùs intueatur, quid in ſalutem faciat Reipublicæ. Ampliora ſibi Regnum pollicetur de Rege ſuo, quem ut DEUS Auguſtiſſima cum Domo ſervet incolumem; plurimósque de CAROLO Cæſare ac Rege, Ungariæ proferat Reges, Romano Imperio Cæſares, bonorum omnium, atque in primis Ungaricorum ſumma eſt votorum &

FINIS.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
13835-1953 raktárszám

2819

Stephani Kovács, Provisoris in Praedio Rezeszae.
Anno 1808.

Idem Emeritus Provisor Jelsö Lendvensis;
Qua vacans habitus in S. Gotthardo, domo
Sartoris Antonii Hadl. a die 2a 9bris
820. usque 6a July. Anni. 1822.

alla adES

L

alla adES

796024

1780
1717
=63

1922

1033
953

38
15
=53

780
417
63

796024